132

Summum Bonum:

SEU

Vera, atq; Unica Beatitudo Hominibus per CHRISTUM Communicanda,

Sex DISSERTATIONIBUS Aliquatenus Explicata:

Per *EDMUNDUM ELISIUM*, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyterum.

Multi dicunt, Quis ostendit nobis Bona? Signatum est super nos Lumen Vultûs tui, Domine: dedisti Lætitiam in Corde meo. Psal. 4.

ΚΤΗΜΑ ΕΣ ΑΕΙ.

LONDINI,

Prostant apud *Henricum Faithorne*, & *Johannem Kersey* ad Insigne *Rosæ* in Cœmeterio D. *Pauli*. 1681.



ILLUSTRISSIMO
Virtutum Omnium Exemplari
DOMINO
HENEAGIO FINCH,
Baroni *Daventriæ*,
Summo *ANGLIÆ* Cancellario.

DIvitias & Honores, Multorum Dominos, Tibi, DOMINE Colendissime, in Heroico Omnimodæ Virtutis Exercitio *Inservientes* videt hæc Ætas, Omnis memorabit Posteritas. *Ardua res hæc est Opibus non tradere Mores*, seu potiùs (ut ad Con-

Conſuetudinem Chriſtianam loquar) SPIRITU eſſe PAUPEREM magnas inter Opes, & ſplendida Ædificia; nempe ad Internum Te uſque Splendorem convertere, JUSTITIÆ SOLEM in Animo Tuo Fulgentem. Gratias ago DEO Meo, quòd Me fecit coram Hominibus tam Vilem, tam Puſillum, tam Nullum; Te verò tam Excelſum, tam Conſpicuum apud Homines, in Conſpectu DEI tam Verè Honorabilem. Tu ſanè Beatus es, *Bonis Externis* Abundans, ſed minimè *Intumeſcens*: Ego etiam Beatus, toties expertus iſtiuſmodi *Eventa*, quæ *Mala* appellantur, revera non

eſſe *Mala.* Si quis reſpuerit hanc noſtram Beatitudinis Explicationem, æquuum putabimus iſtiuſmodi viro non ſuccenſere, ſed miſereſcere. Non Elati ſed Æqui Animi eſt, quod Dominationi tuæ offerimus, magni æſtimare.

Ut vitam Tibi in Terris longiſſimam ſummis Honoribus repletam, & tandem in cœlis Gloriam Æternam det ipſe Fons vitæ, Rex ille Gloriæ, ex animo Precatur

Dominationi Tuæ addictiſſimus,

E. E.

AD AUTHOREM.

PErlegi equidem, *serióque relegi commentationes tuas, Vir Erudite, de* Summo Bono, *seu verâ fœlicitate* Christianorum : *in quibus effecisti sanè, ut meritò dubitarem, utrum plus Doctrinæ ubique ostenderis, an Pietatis. Illud autem mihi certissimè constat, in isto te tractatu solidissima cùm Vitæ Beatæ, tum Christianæ magnanimitatis fundamenta posuisse. Non est igitur, quod insignem tuam aut in Adversis* patientiam, *aut adversus inimicos* caritatem, *aut divinæ voluntati in omnibus* submissionem *quis admiretur. In istis quippe dissertatiunculis cœlestem illam explicuisti Philosophiam, quæ nos adversus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ insidias munit ; quæ ita fortis est, ut nullius incuriæ impetum extimescat ; ita lenis,*

lenis, & suavis, ut omnes ærumnarum acerbitates facilè mitiget, ac molliat; ita demum utilis, & fructuosa, ut totam se ad humanas utilitates liberalissimè porrigat atque explicet. Hujusque ductu animi tui aciem à splendidis quidem, sed fallacibus sæculi hujus quàm citissimè transituri lenociniis, in æternùm duraturam Summi Numinis benignitatem, ut virum bonum, ut Philosophum, ut Theologum decuit, sapientissimè convertisti: speique ancharam fixisti, non in lubricâ hominum fide, non in terreni auxilii arenoso fundo, sed in immobili illâ divinæ misericordiæ rupe, unde nullæ calamitatum tempestates te unquam divellere valebunt. In tuto itaque es, ac immunis à naufragii periculo; & quamvis ventorum fluctuumque furore vexatus, haud procul tamen à portu, in quem te confido brevi fæliciter ri receptum. Quod ad dissertationum stilum, *de quo nostrum requiris judicium, attinet; profectò mihi in eo videris consilium illud sequi* Ciceronis, *qui (in* Timæo


Ad Authorem.

Timæo) *ex professo præcipit, ut* cùm de re stabili & immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis sit illa, quæ neque redargui, neque convinci potest. *Plura nunc non addam, nè animum tuum semper melioribus addictum, intentumque de rerum divinarum contemplatione, ad nugas meas deducam. Vale itaque, virorum fœlicissime, internâque illâ, quam divinæ Philosophiæ beneficio, ac longinquo magnanimitatis exercitio demum tibi comparâsti, tranquillitate semper imperturbatus perfruere. Ita ex animo vovet*

Virtutibus tuis addictissimus,

Septemb. 4. 80.

Gualt. Charleton.



Dissertatio Prima.

Matth. 19. 17.

Nullus est Bonus, nisi unus, DEUS.

VERA, ac genuina Doctrinæ hujus Intelligentia, quam ipse protulit Θεάνθρωπος, DEUS INCARNATUS, Hominem per sui Cognitionem ducit ad cognoscendum DEUM: Qui seipsum nihil esse sentit, DEUM esse OMNIA facilè credit: Hic solus Divinam percipit *Bonitatis* plenitudinem, qui se vacuum Eâ prorsus Intelligit: "Nullus est bonus, nisi unus, DEUS. Quid sit Bonitas nos penitus inquiramus, ut unum bonum DEUM unicè colamus, unicè amemus.

Arridet mihi pervulgata ista *Bonitatis* Descriptio, *Bonitas est conformitas Rei, & Voluntatis.* Res autem hoc in loco non idem significat, quod τὸ πρᾶγμα apud Græcos, sed quod τὸ Ὄν: aliter enim DEO non competeret Bonitas his vocibus descripta. Voluntas est τοῦ Ὄντος (Entis) Capacitas *Intellectualis.* Capacitatis hujus Expletionem,

nem, Fruitionem Intellectualem vocamus. *Conformitas Rei, & Voluntatis* est Aptitudo ad explendam hanc capacitatem.

Entis capacitas Intellectualis INFINITA, Ens ipsum *Simpliciter Infinitum*, & aptitudo ad explendam hanc capacitatem, ipsaq; hujus capacitatis Expletio, seu Fruitio INFINITA Idem est ipse DEUS, Actus *simplicissimus, Fons Immensus Essentiæ*, qui Verè est OMNIA; Cui quicquid est in *Rerum natura* Esse suum acceptum refert. Ad Imaginem sui se Hominem creâsse testatur DEUS, ut per *Intellectum* semper perciperet *Summum Bonum*, per *Voluntatem* Eodem semper frueretur. Utrùm Divinæ hujus Creaturæ Intellectus, & Voluntas à se invicem Realiter distinguantur, vel sint una Animæ vis exerere se Potentis in varios Motus istos, quos Actus Intellectûs, & Voluntatis appellamus, utinam, Amice Lector, satis esset apud Philosophos, aut Theologos potiùs, determinatum. Haud equidem is ego sum qui ad arduam hanc tot tantisque Dubiis involutam Quæstionem discutiendam idoneum me existimarem. Itaque conceptus nostros, qui ad intellectum, & voluntatem aliquo modo spectant, eâ exprimendi ratione proferre conabor, ut omnium, quâcunque de

hac

hac re Opinione imbuuntur, Lectorum apprehensionibus æquè conveniant. His præmissis progrediatur Oratio ad explicandos intimos Sensus *Thesium* istarum, quas in hoc Textu à *Spiritu Sancto* prolatas speculamur.

Nullus Homo est Bonus, nec alia ulla Creatura: DEUS (qui, ut supra dixi, *Bonitatis* est INFINITAS) Bonus est in omnibus Operibus suis: hoc est, Omnia DEI Opera sunt *Bona*. At forsan dicat aliquis, Contradictionem implicant hæ Duæ Propositiones, cùm omnia Creata sint DEI opera. Respondeo: Quando Creaturis *Bonitas* attribuitur, nil aliud intelligendum est, quàm *Participatio Bonitatis*, quâ solus perfruitur *Essentialiter* DEUS, & per DEUM hanc ipsam *participat* ea sola Creatura intelligens (nam cæteris Creaturis nil *Bonum* est, vel *Malum* in sensu strictiori, cum Bonitas sit *Conformitas Rei*, *&* *Voluntatis*, seu *Appetitûs Intellectivi*) intelligens inquam quæ ipso perfruitur DEO, nempe cujus voluntati præcepta Divina, atque omnia, quæ in cœlis, vel in terris fieri vult DEUS, sunt omnimodè congrua. Adeo ut verissima sit propositio ista, Nil præter Creatorem est *Bonum*, cum nullius voluntati *Conformis* sit Creatura aliqua, nisi in quantum per

ejus

ejus *Operationem*, vel saltem *Essentiam* DEUS *Voluntati* exhibetur, vel (ut ita dicam) in Acceptationem proponitur. Constat hæc veritas de *Damnatis* vel Angelis, vel Hominibus: Hos scilicet nil aliud *Esse*, quàm Justitiæ DEI *Ultricis* objecta, adeo ut Eorum *Essentia* nullius *Voluntati Conformiter* se habeant, nisi *Unius* DEI, vel Angelorum, atque Hominum eorum qui (ut *Phrasi Apostolica utar*) *divinæ consortes sunt Naturæ*, 2 Pet. 1.4. DEUS per *Efficaciam* (si ita loqui liceat) ESSENTIÆ suæ, quæ *Identica* est cum *Bonitate* INFINITA, Omnem *Essentiam Bonam* reddit, sibi nimirùm suisque omnibus, nempe iis creaturis, quæ DEI, non SUI JURIS seipsas esse agnoscunt; atque ita εὖ πράττουσι, Bene se habent, seu fœliciter agunt in participatione *Naturæ Divinæ*. Hic quæri possit an Angeli atque homines *Damnati*, in quantum *sint*, non aliquo modo consortes habeantur naturæ divinæ, cùm sit ea INFINITAS ESSENTIÆ. Respondeo, vel infensissimos DEI Hostes aliquo modo esse *Naturæ* ipsius *Consortes*, sed etiam eo modo non esse rectè dicendos, quo dicuntur INFINITO ejus Dominio non esse subjecti: scilicet non *Activè*, sed *Passivè* tantùm

tantùm *Naturam Divinam* in se recipiunt, cum Unusquisque eorum Quod est, esse nollet. Quod ad Impios istos spectat, qui adhuc in Terris degentes *Sanctitatis* acquirendæ, seu potius à DEO acceptandæ capaces sunt, dicimus eos non tantùm quoad *Essentiam*, sed etiam quoad eam *Sanctitatis* acceptandæ Capacitatem *Bonos* esse, nimirum *Voluntati Divinæ*, atque eidem se *Conformiter* habenti cujuscunque Creaturæ *Voluntati* conformes. At dixeris fortasse plurimos eorum suis vivendi modis se oblectare, variisque affluentes deliciis se fœlices jactare, dum *Voluntate avertuntur* à DEO, dum *Irregeniti* sunt, nec aliquid DEO gratum perficiendi Potentiam illam in CHRISTO oblatam accipiunt. SENECÆ verbis utar pro Responsione CHRISTIANO dignâ. "Bonum tunc habebis tuum, "cum intelliges infœlicissimos esse fœlices. Epist. 124. Scilicet audacter dicam *φιλοκόσμοις* omnibus, hujus sæculi amori deditis Animalculis, licet in hoc Mundo florentissimis, nullum omnino esse Actu *Bonum*. Quid enim possit unquam istiusmodi Homuncionis, his licet rerum Minutiis, quas Divitias, Voluptates, Honores vocant, perpetuò abundantis *Voluntati* convenire, seu

esse conforme, qui (usque adeo me juvat eximii *Scholastici* verbis immorari) *Voluntate avertitur* ab Illo, in quo sunt OMNIA, DEO OPT. MAX? At quæri possit an *Voluntati Conformis* sit Actus ipse *Voluntatis*, ad Terrena propter se amata tendentis, quò terminet sese in iisdem acquirendis, & in Animi Requiem seu Gaudium resolvatur appetitio? Respondeo, actum istum Voluntatis ipsi Voluntati nequaquam *Conformem* esse, nempe quòd *Pravus*, & *Iniquus* sit, Animæ Rationalis naturæ minimè *Congruus*: Hæc enim ad DEUM solum propter se amandum apta est creata: nec magis *Appetitui sensitivo* incongrua sunt fœtidissima *Stercora*, quàm *Intellectivo* qualiacunque *Sensibilia*. Hæc vocat Hominum sapientissimus *Vanitatem*, & *Afflictionem* spiritûs, Eccl. 1. 14. Quomodo autem vanitas, & afflictio spiritûs, vel ipsa ad vanitatem, & afflictionem spiritûs propensio OMNIUM perfruendorum capacitati se præstet *Conformem*? "Non est pax impiis, dicit "dominus meus, Isa. 57. Scripturæ ubicunq; impiorum inquietudinem ac turbidas *Cupidinum* revolutiones ostendunt, fortissimè evincunt, ut constet hæc Veritas: Nullam esse impiis *Animi Concordiam*, seu Rei alicujus cum

cum Animo falsi Judicii ductu'Appetente, *Convenientiam*. Theseos istius institutam explicationem sic itaque concludo: Nulla Creatura aliquo modo *Bona* habeatur, nisi in quantum se DEUS per eam sibi, & *Divinæ Consortibus Naturæ* Creaturis perfruendum exhibeat. Finita omnia nil sunt aliud, quàm LUCIS INFINITÆ *Radii*, IMMENSI BONITATIS Oceani effluvia.

Quod ad Thesin secundam attinet, quàm suavitur cecinit Psalmista, Psa. 145. 10. "Celebrent te Jehova omnia opera tua, & "quos Benignitate prosequeris benedicant "tibi! Benedicant Tibi; Bonitatem tuam agnoscant, quam omnia opera tua clarissimè ostendunt.

DEI opera distinguenda sunt in *Opera Creationis*, & *Opera Providentiæ*. Per *Opera Creationis* ipsas Creaturas intelligo à DEO productas, & conservatas. Per *Opera Providentiæ* intelligo ea omnia, quæ à DEO OPT. MAX. omnes omnium creaturarum inter se Motus ad gloriam suam illustrandam disponente quoque modo eveniunt. Omnia, inquam, quæ quoquo modo à DEO proficiscuntur, sunt *Bona*. Atque ut ARNOBII verbis utar, "Nihil à Deo principe

"quod sit nocens atque exitiabile, profi-
"cisci: hoc tenemus, hoc novimus, in hâc
"unâ consistimus cognitionis, & scientiæ
"veritate: Nihil ab illo fieri, nisi quod sit
"omnibus salutare; quod dulce; quod
"amoris, & gaudii, lætitiæque plenissi-
"mum; quod infinitas habeat atque in-
"corruptibiles Voluptates; quod sibi quis-
"que contingere votis omnibus expetat.
Ad altissimam hanc veritatem attollenti mihi animum, nullum occurrit Dubium præter hoc ipsum, Quo sensu Bonæ dicantur variæ istæ calamitates, quæ Hominibus in Terris degentibus contingunt, cujusmodi sunt Morbi, Vulnera, acerbissima Opprobria, extrema Paupertas, nempe rerum ad vitam sustentandam necessariarum inopia, & quæcunque appellantur *Mala Physica?* Ut hunc nodum explicemus probandum est, Nullum *Malum Absolutum* præter peccatum posse unquam ad Hominem pertingere, ad Hominem, inquam, Gratiæ & Salutis capacem: Qui verò omnino non possunt non in Æternum separari à DEO, BONITATE INFINITA, his nullum est Bonum sive *Actu*, sive *in Potentia*. Probo autem Hominem quempiam ad DEUM *Conversum*, vel *Conversionis* capacem, nullum malum Absolutum, &c.

Nil

Nil præter peccatum, quod Homini per se nequit cedere in Bonum, potest unquam ad Hominem pertingere:

Omne Malum absolutum est quod per se nequit cedere in Bonum, Ergo

Nullum Malum absolutum potest unquam ad Hominem pertingere.

Major hinc constat, quòd omnia præter peccatum, quæ ad Hominem pertingunt, sunt *Voluntatis Divinæ* effecta, ideoque nequaquam non esse Homini *Bona*, seu ejus *Voluntati conformia*, si ipse *convertatur* ad DEUM. Eatenus tantùm *Malorum* rationem Calamitates induunt, quatenus sunt ii, quibus inferuntur, à DEO separati. Morbi, Dedecus, Paupertas, &c. iis sunt *Præmia Peccati*, qui *serviunt Peccato*: qui verò in *Libertatem* eluctantur, his sanè auxilia fiunt, ac gratissima adjumenta. *Carne* depressâ assurgit *Spiritus*. Morbus corporeus fit animi Medicina. Sævissimis Hominum *Maledicorum* opprobriis lacerati gaudemus conformes fieri domino, & DEO Nostro CHRISTO in Æternum *Benedicto*. Rerum externarum inopia nos arctius astringit DEO, in quo sunt OMNIA; adeo ut cum Apostolo placidè, ac lætanter gravissimam feramus pauperiem, "Tanquam

"nihil habentes, & omnia possidentes, "2 Cor. 6. 10. Quum Morbus Membra "dissecat, Animus viget robustior, ut cecinit *Prudentius*. De medica calamitatum virtute sic loquitur venerabilis ille *Salvianus*, de Gubernatione Dei Lib. 6. "Nunc asperis "rebus Deus castigat suos pro disciplinâ, "nunc tranquillis fovet pro indulgentiâ. "Sicut enim optimi, & peritissimi medici "dissimilibus Morbis Curas dispares præ-"stant, atque aliis per dulcia medicamina, "aliis per amara succurrunt, & quosdam "curant cauteriorum adustione, quosdam "malagmatum placabilitate, aliis adhibent "duram Ferri sectionem, aliis blandam in-"fundunt Olei lenitatem, & tamen di-"versissimis licet curis eadem Salus quæri-"tur: ita etiam Deus noster si quando "nos plagis austerioribus coercet, quasi cau-"teriis, & sectionibus curat; quando "autem rebus prosperis refovet, quasi oleo, "ac malagmatibus consolatur, per diversam "enim opem ad unam nos vult perducere "sanitatem. Hæc sunt ipsius verba: Caro, "inquit Apostolus, concupiscit adversus "Spiritum, Spiritus adversus carnem; hæc "enim invicem sibi adversantur, ut non "quæ vultis, illa faciatis. Ergo si repug-

"nante

"nante corpore quæ volumus facere, non "possumus, infirmandum Corpore est, ut "optata faciamus. Et verum est: Imbecil-"litas enim Carnis Mentis vigorem exa-"cuit, & affectis artubus vires Corporum "in virtutes transferuntur Animorum, "ut mihi genus quoddam Sanitatis esse vi-"deatur, hominem interdum non esse Sa-"num: nulla enim admodum tum Spiritui "cum corpore, id est, nulla Divinæ indoli "cum Terreno hoste luctatio est: non "turpibus Flammis Medullæ æstuant, non "malesanam mentem latentia incentiva "succendunt, non vagi sensus per varia ob-"lectamenta lasciviunt, sed sola exultat "Anima læta Corpore affecto, quasi ad-"versario subjugato.

Animo Bono quàm *Bona* sint Convitia & Opprobria, his verbis ostendit *Gregorius* ille Magnus Moral. L. 10. C. 15. "Nonnun-"quam verò recto operi animus constanter "innititur, & tamen Humanis Irrisionibus "urgetur. Miranda agit, & opprobria reci-"pit, & qui exire foras per Laudes potuit, "repulsus contumeliis ad seipsum redit; & "eo seipsum intus robustiùs in Deo solidat, "quo foris non invenit, in quo requiescat. "Tota enim spes in auctorem figitur, & inter

“ irriſionum convitia ſolus interior Teſtis
“ imploratur: atque afflicti animus fit Deo
“ tanto proximus, quanto & à gratiâ hu-
“ mani favoris alienus in precem protinus
“ funditur: & preſſus exteriùs ad pene-
“ tranda quæ intus ſunt mundiùs liquatur
“ —— “ Ut Caro mollibus (inquit C. 13.) ſic
“ Anima duris nutritur: illam blanda re-
“ fovent, hanc aſpera exercent: illa delecta-
“ tionibus paſcitur, hæc amaritudinibus ve-
“ getatur.

Sic *Diligentibus* D E U M *omnia cooperantur in Bonum* (Rom. 8. 28.) in ſummum Bonum conſequendum. Sic *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum Gloriæ pondus operatur nobis,* 2 Cor. 4. 17. Malis autem, & curvis in Terras animis res arduæ pro *Malis* habentur, nempe *malæ* Voluntati minimè conveniunt, quippe quæ ipſa ſibi repugnat. Ab ipſo Summo Bono ſe avertit, dum paſſim quæritat *Bonum*. Sic Animus *Malus* D E O adverſus rebus imprimit, quod inde patitur *Malum*. Qui verò Sapientiſſimo *Calamitatum* Auctori, Omnium rerum Creatori, Servatori, Gubernatori ſubditum animum gerit, ſupra *Appetitum Senſitivum* elevatus Gaudii Materiam

riam sub ipsâ invenit *Tristitiâ* : nec quod Anima ipsius *Molestum* sentit, *Malum* agnoscit *Animus*. Ultra peroranti occurrit mihi Eximius ille Grotius, summus Literarum Antistes, Religionis Christianæ Vindex acerrimus. Carminibus hisce venerandis explicat Animi mei sensa :

Exilia, morbos, damna, pauperiem, probrum
Mala quisquis arbitratur, ipse est non Bonus.

Mala quisquis egit, patitur: artificem in suum
Isthæc redundant, quæq; nascuntur, manent.

Homo ipse summus semper est hostis sibi.
Quid, stulte, vitas castra, mare, turbas, fo-
Nescis ubi omnis summa sit periculi : (rum?
Si vis tibi cavere, te primùm cave.

Operæ pretium erit eruditam *Senecæ* sententiam de vero Bono recitare. " Quicunque
" beatus esse constituit, unum esse Bonum
" putet quod Honestum est : nam si ullum
" aliud existimat, primùm malè de provi-
" dentiâ judicat, quia multa incommoda
" Justis viris accidunt, & quia quicquid
" nobis dedit, breve est & exiguum, si com-
" pares Mundi totius ævo. Ex hac deplo-
" ratione

"ratione nascitur, ut ingrati Divinorum "interpretes simus, querimur quòd non "semper, & quòd pauca nobis, & incerta, "& abitura contingant. Inde est quòd "nec vivere, nec mori volumus. Vitæ nos "odium tenet, timor Mortis. Nutat omne "consilium, nec implere nos ulla fœlicitas "potest. Causa autem est quod non perve-"nimus ad illud Bonum immensum & in-"superabile, ubi necesse est resistat Volun-"tas nostra, quia ultra Summum non est "locus. Quæris, quare Virtus nullo egeat? "præsentibus gaudet, non concupiscit ab-"sentia; nihil non illi Magnum est, quia "Satis. Ab hoc discede Judicio, non Pietas "constabit, non Fides: multa utramque "præstare cupienti patienda sunt ex his, "quæ Mala appellantur: multa impenden-"da sunt ex his, quibus indulgemus tan-"quam Bonis. Perit Fortitudo, quæ peri-"culum facere debet sui: perit Magnani-"mitas, quæ non potest eminere, nisi om-"nia veluti minuta contempserit, quæ pro "maximis vulgus optat. Epist. 74. *Cicero* eti-am veram (ut ita dicam) *Veri Boni* umbram Tenebroso Sæculo exhibere videtur hisce verbis: "Ego neque pecunias istorum, ne-"que tecta magnifica, neque opes, neque

"imperia,

"imperia, neque eas quibus maximè adstri-
"cti sunt Voluptates in Bonis rebus, aut
"Expetendis esse duxi: quippe cum viderem
"rebus his circumfluentes, ea tamen desi-
"derare maximè, quibus abundarent: ne-
"que enim expletur unquam, nec satiatur
"Cupiditatis sitis: neque solum ea, quæ
"habent, libidine augendi cruciantur, sed
"etiam amittendi metu; in quo equidem
"continentissimorum hominum Majorum
"nostrorum sæpe requiro prudentiam, qui
"hæc imbecilla, & commutabilia Pecuniæ
"membra, verbo BONA putaverunt ap-
"pellanda, cum re, ac factis longè aliter
"judicavissent. Potestne Bonum cuiquam
"Malo esse? aut potest quisquam in abun-
"dantiâ Bonorum ipse esse non Bonus? At-
"qui ista omnia talia videmus, ut etiam
"Improbi habeant, & obsint Probis.

"Quid est igitur, quæret aliquis, Bonum?
"Si quid rectè fit, & Honestè, & cum Virtute,
"id BENE fieri verè dicitur: & quod
"Rectum, & Honestum, & cum Virtute est,
"id solum opinor Bonum.

"Profectò, inquit, nihil est aliud Bene,
"& Beatè vivere, nisi Honestè, & Rectè
"vivere. At verò quid sit id Honestè, &
Rectè vivere nemo novit, nisi cui DEUS
hoc

hoc ipsum indicavit. " Indicabo tibi, ô " homo, quid sit Bonum, & quid Dominus " requirat à te: Utique facere Judicium, " & diligere Misericordiam, & solicitum " ambulare cum Deo tuo, Mic. 6. 8. Agnoscite, Lectores *Christiani*, Dominum DEUM Vestrum, qui *Vult* omnia, quæ accidunt vobis, Bona facere, OPTIMUM, Qui *Potest*, MAXIMUM; Cui OPTIMO MAXIMO sit omnis Laus, Honor, ac Gloria in Sæcula Sæculorum. *Amen*.

Disser-

Dissertatio Secunda.

Eph. 5. 20.

Gratias agentes semper de Omnibus in Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI DEO-ET-PATRI.

EX Suppositâ *Bonitate* per Omnia DEI opera penitus diffusâ sequitur debere Homines DEO-ET-PATRI *Semper de omnibus Gratias agere*: nempe cum sit *Bonitas* DEI infinita, necesse est ut ubique semper emineat, adeo ut id, quod Est Homo, quod Habet, quod Agit unquam, nisi in quantum DEO repugnet, nil sit aliud, quàm *Beneficentiæ Divinæ* opus, seu Homini à DEO collatum *Beneficium*. Prælectum hoc Scriptum Apostolicum, *Spiritui Sancto*, qui *Paulum* ipsum ad scribendum impulit, sedulò innixus, aliquatenus explicandum in me recipio. *Gratias agentes*, &c. Ut summo hoc erga DEUM officio, quod verbis hisce nobis innuit Apostolus, rite fungamur, Primò disquiremus, Quid sit DEO-ET-PATRI *de omnibus Gratias agere*, deinde quid *Semper*, postremò quid *In Nomine*

Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI

Qui DEO ET PATRI de omnibus Gratias agit, esse eum animitus agnoscit Causam Primam *Rerum* omnium, ac *Eventuum, peccatis* solummodo exceptis; inde etiam agnoscit sibi bona esse omnia, quæcunque ad ipsum per *Providentiam Divinam* quocunque modo pertingunt: hinc oritur quæstio non vulgaris, An scilicet peccata aliena, quæ fiunt nobis maxima vitæ incommoda, utpote furtum, contumelia, atque alia hujusmodi facinora, sint nostræ erga DEUM Gratitudinis Materies? Ut dissolvatur hic Nodus, animadvertendum est nequaquam esse DEUM Peccati authorem, non esse illi Gratias pro peccato aliquo agendas, sed per *Providentiæ Divinæ* Ordinationem evenire, ut ad nos Peccata aliorum, quoad *Corpus*, *Fortunam*, vel *Animum* hoc vel illo modo pertingant, &, quisquis sit ille modus, necesse est propter *Infinitam* Providentiæ Divinæ *Bonitatem*, ut Spiritus sancti *Fructus* sit inde carpendus, magnum æternumque Emolumentum sumendum. At dixeris fortasse, Aliorum peccata aliquando mihi animum perstringunt eadem perpetrandi horrendâ cupidine. Respondeo: Non oritur Cupido ista ab ipsis aliorum Peccatis, sed ab

ab ardescente sub imis medullis propriâ *Concupiscentiâ* : cui extinguendæ si totis incumbas viribus, dum animo spectas aliorum peccata, *Concupiscentiæ* Effluvia, flagrantiori contra proprium peccati Fomitem odio, ac indignatione obnitendum tibi esse clariùs videbis : nempe turbidos *Opinionum* fumos, & tetras *Concupiscentiæ* favillas removendo certissimè cognosces Peccata omnia nil aliud haberi debere quàm fœtorem *Spiritualem*, qui eo odiosior est Fœtidis omnibus quæ *Sensus* lædunt, quo præstantior est Corpore fragili in *Cineres* redituro Animus Immortalis, Divinæ *Particula Auræ*.

" *Peccante nil est tetrius,*
" *Nil tam leprosum, aut putridum,*
" *Cruda est cicatrix criminum,*
" *Oletque ut antrum tartari,*

ut cecinit clarissimus *Prudentius*. Quàm *fœda puritatis* infinitæ nobis quodammodo inesse debitæ privatio ! *Tenebræ* quàm horrendæ *Lucis Infinitæ* absentia ! Hæc cogitat sapiens aliorum Peccata secum reputans, hinc DEO ET PATRI *Gratias agit*, quem summum peccati cujuscunque odium in animo suo excitantem sentire gestit. Quòd

Quòd autem qualescunque Corporis, aut Fortunæ Conditiones homini *bonum* gerenti animum facilè convertantur in *Bonum*, dubium esse nemini potest, qui præcedentem Dissertationem ritè intelligit.

Ultima Gratitudinis erga DEUM exhibendæ Pars restat dicenda, quæ præcipuè in eo consistit, ut universa, & singula DEI Opera pensitemus adeo, puro versantes animo, ut levia esse, & inania omnia existimemus, nisi in quantum extimulent nos ad fervidiorem DEI-ET-PATRIS *Dilectionem*. Hic solus se DEO *Gratum* præstat, qui *Bonitatem* ejus *Infinitam* perspicit, adeo ut alibi non quærat *Bonum*, nisi in *faciendo* ea quæ *Lex Divina jubet*. Hoc esse DEO-ET-PATRI *Gratias agere* his verbis innuit Apostolus, Col. 3. 17. "*Quicquid egeritis* "*sermone*, aut facto, in nomine Domini Jesu id "facite, Gratias agentes DEO-ET-PA-"TRI per Eum. De externâ Gratiarum actione non opus est ut multa dicam: nam cui dubium esse possit, quin ea necessariò sequatur quandocunque se offert Occasio, ex iis, quos enarravi, animi grati affectibus? Omnibus constat nostri non esse officii de DEO-ET-PATRE semper Meditari, aut Loqui, aut quæ immediatè ad Cultum ipsius

sius spectant Facere: at *Semper* debemus ab omni iniquâ Opinione Purgatam *Mentem*, ab omni Cupidinis Imperio Liberum *Cor* nostrum præstare, *cogitando*, *loquendo*, *faciendo*, eam semper animi Virtutem exerentes, quam indidit nobis DEUS-ET-PATER *Spiritum sanctum* nobis exhibendo *per Dominum Nostrum Jesum Christum.* Nè multis agam: Sæpissimè quoad *Actum*, *semper* quoad *Habitum* seu *Virtutem* DEO-ET-PATRI Gratias *Externè* agere debemus *In Nomine Domini Nostri Jesus Christi.* Per Nomen Domini Nostri Jesu Christi (millies repetitum placebit hoc Nomen) nos intelligere oportet *Illum ipsum* sub ratione Tituli cujusque seu *Nominis*, quo eum per S. Scripturas insignivit *Spiritus sanctus*, *conceptum.* Tituli ejus principales, seu Nomina sunt *Dominus*, *Rex*, (quæ duo vocabula *Christo* attributa Synonyma esse videntur) *Sacerdos*, *Propheta.* Hæc nomina, quæ *Christum* signant *Jesum Nostrum*, in *Mediatoris* nomine conveniunt, nempe in Officio *Mediatoris* fungendo *Regem*, *Sacerdotem*, *Prophetam* agit Ille DEUS *Incarnatus Benedictus in Æternum.* Suavissima est illa *Poetæ* harmonia: *Regum est Parcere subjectis, & debellare superbos.* Veritatem, ubicunque eam invenio,

nio, in usum *Evangelii* prædicando mihi vindico. Ratio hujus nominis *Regis*, CHRISTO attributi hanc præcipuè Notionem continet: Conducere Omnia, quæ fiunt in Terris, & in Cœlis per summè efficacem *Domini Nostri Jesu Christi* Potestatem ad *Sanctitatem* subditorum suorum in hâc Vitâ jugiter promovendam, & in Futurâ *Gloriam* eorum constituendam in Æternum: Atque etiam ad *Debellandos superbos*, ad Pœnas illis insligendas, qui "Nolunt eum "Regnare supra se, Luc. 19. 27. *Sacerdos* hic Noster Θεάνθρωπος, qui *Sacrificium* pro peccatis nostris in *Cruce* Seipsum obtulit, "Perpetuum habet Sacerdotium (ut lo-"quitur Apostolus) unde & servare per-"fectè potest eos, qui per ipsum accedunt "ad DEUM, semper vivens ut inter-"pellet pro eis, Hebr. 7. 25. Hujus *Sacri-*"*ficii*, ac *Interpellationis* Efficaciâ *Charitas* "Dei effusa est per Spiritum sanctum in cor-"dibus eorum (Rom. 5. 5.) qui sunt ex Fide "Jesu (Rom. 3. 26.) Et diligentibus DEUM, his scilicet qui Charitatem Dei in cordibus suis effusam habent, Omnia cooperantur in Bonum, adeo ut in objecta *Gratitudinis* evadant vel maxima vitæ incommoda, Exilia, Morbi, Damna, Pauperies, Probrum.

Officium

Officium *Christi Propheticum* est ea omnia quæ ad Animæ immortalis Salutem spectant nota facere. *Spiritu* suo in Prophetis olim loquutus est: Deinde Naturam adsumens Humanam ore proprio *Evangelium* prædicavit: In Terris versatus æternus Cœlorum Incola *Viam quæ ducit ad vitam* mortalibus ostendit. Primò Apostolis, & Septuaginta Discipulis, deinde (postquam cœlos conscenderat) multis aliis, postremò Ecclesiâ per totum Terrarum orbem diffusâ, hic, illic plurimis dedit, atque omni Tempore usque ad consummationem sæculi dabit potestatem prædicandi *Evangelium* (nempe secundum eas quas nobis reliquerunt Apostoli *Scripturas*) *Baptizandi* etiam atque in memoriam *sui Crucifixi* perpetuò celebrandam, Corporis, ac Sanguinis sui Sacramentum Christianis omnibus exhibendi.

Cui summus hic *Propheta* vel per externam *Ministrorum* prædicationem, vel alio quocunque modo scripti Evangelii sensus (ut ita dicam) *Grammaticos* ingerit, illi *Spiritum* suum offert, quo duce ipsum *omnis Veritatis* fontem assequatur, cui dum inhæret *Voluntas*, sacri *Ardoris*, seu charitatis lumine coruscante clarissimam salutiferæ veritatis *Notam* in ipsum refundit *Intel-*

lectum. Qui verò *Spiritui Sancto* ad DEUM-ET-PATREM *ex toto corde, & ex totâ Animâ, & ex totis viribus, & ex totâ cogitatione* per *Christum* diligendum ducenti repugnat, forsan & iste etiam quodammodo credat vera esse omnia, quæ scripserunt *Apostoli*, isti autem debilis est admodum, & perobscura eorum notitia: nam Intellectus ejus *Veritati* aliquando assentitur, sed *ipsi* nunquam *adhæret*.

"Summa Veritas Amor est (inquit S. "Gregorius in 1 Reg. L. 1. c. 1.) subti- "litate veritatis attollitur electa anima, e- "jusque rei charitate, quam didicerit, in- "flammatur: & tanto strictiùs servat ma- "gisterium, quanto ferventiùs id sibi invi- "scerat vis amoris. Fide (inquit L. 2. c. "3.) velut Famâ Deum cognoscimus: A- "more autem contemplationis is, qui famâ "innotuit, nobis velut ex ostensione præsen- "tiæ revelatur. Magno illo major Gregorius carmina hæc *Seraphica* modulatus est:

Οὗτω τὸ Φίλτρον Προὔξενον καὶ γνώσεως,
Ἡδ' ἔστ' ἀμείνων πρὸς Ἀλήθειαν τρίβος
Τῆς ἐν Λόγῳτε, καὶ Στροφαῖς τιμωμένης.

"*Sic*

" *Sic Notionem charitas parit,*
" *Estq; ista multo melior ad verum via,*
" *Quàm sermo scitus, & leves argutiæ.*

Sic breviter explicavi quid sit *In nomine Domini Nostri Jesu Christi* DEO-ET-PATRI gratias agere: Nimirum id esse ostendi, Per *Spiritum sanctum* suavissimâ MEDIATORIS officiorum omnium efficaciâ Animos nostros perfundentem cogitata, dicta, facta DEO-ET-PATRI *grata* offerre. Sanctus *Basilius* in eximiâ homiliâ de *Gratiarum actione*, quàm sit possibile animæ verè Christianæ *Semper gaudere, & de omnibus gratias agere*, his verbis ostendit: ψυχὴ ἣ ἅπαξ προσδεθεῖσα τῷ πόθῳ τοῦ Κτίσαντος, καὶ τοῖς ἐκεῖ κάλλεσιν ἐνηθισμένη φαιδρύνεσθαι, &c. " Anima, " inquit, quæ semel se modis omnibus desi- " derio astrinxit sui Creatoris, jamque insue- " vit oblectare se tantæ illius pulchritudinis " contemplatione, prorsus non sinet vehe- " mens illud gaudium, Animique sui jucun- " dissimam diffusionem intercipi, aut im- " mutari per multitudinem, & succeda- " neam carnalium affectionum mutatio- " nem, quin ea potiùs, quæ aliis mœrorem " afferunt, & tristitiam, in cumulum sibi ver- " tet, & accessionem lætitiæ: cujusmodi e-

" rat Apostolus, dum sibi probè admodum
" complacet in infirmitatibus, in tribula-
" tionibus, in persecutionibus, in necessita-
" tibus, egestatem suam in gloriam & ex-
" ultationem portans (καυχήματα ἑαυτοῦ τὰς
" ἐνδείας ποιούμενος) In fame, ait, & siti,
" in frigore, & nuditate, in persecutionibus,
" & angustiis, ob quæ alii ægerrimè seipsos
" ferunt, vitamque despondent suam, ho-
" rum gratiâ Paulus sibi quàm optimè pla-
" cet, & gaudio diffunditur. Illi igitur
" Apostolicæ sententiæ rudes, minúsque in-
" telligentes per eam invitari nos ad com-
" plexum Evangelicæ Vitæ, eò impudentiæ
" & temeritatis prosiliunt, ut incusare au-
" sint Paulum, quasi is nobis præscribat
" factu impossibilia. Atqui erudiantur, &
" discant proponi nobis causas parandi istius
" gaudii prorsus rationi consentaneas, id-
" que solâ Dei munificâ Liberalitate. Quum
" non essemus, ut essemus ipse fecit: Sumus
" proinde ad nostri Creatoris facti imagi-
" nem. Mente, & ratione insignimur, qua
" Humanæ conditio Naturæ perficitur; &
" Deum cognovimus: multifariam pul-
" chritudinem rerum artifici solertiâ con-
" ditarum edocti, per eas quasi literas
" quasdam eximiam Dei, & singularem cir-

" ca

"ca omnia providentiam pariter, & sa-
"pientiam legendo agnoscimus. Boni à
"Malo discernendi facultate præditi su-
"mus: quod conducibile est ut eligamus,
"quod periculosum est ut aversemur, ac
"vitemus, ipsa nos edocuit Natura. Per
"peccatum alieni à Deo effecti in gratiam
"rursum per Unigeniti sanguinem sumus
"revocati, & servituti ignominiosæ exem-
"pti. Spes insuper resurrectionis, fruitio
"multiplex Angelicorum Bonorum, reg-
"num Cœleste, repromissa Bona, mentis,
"rationis vim omnem exuperantia; Quî-
"nam non conveniat hæc censere causas
"suggerere gaudii nunquam desituri, ac
"perpetis lætitiæ abunde sufficientes, at-
"que idoneas?

Sed infinitam Creatoris pulchritudinem non licet Ritè, seu (ut ita dicam) *Affectivè* aspicere, nisi per *Jesum Christum*, *Dominum nostrum*, *Lucem illam veram*, *quæ illuminat omnem Hominem venientem in mundum.* Meum hæc cogitantis animum odio summo replevi Doctrinæ istius SOCINIANORUM *Diabolicæ*, qui *Jesum* Nostrum DEUM esse pernegant. Quis nisi DEUS mundi totius Gubernationi sufficiat? quis nisi DEUS *Iratum* DEUM lenire queat?

quis nisi DEUS *Intima* DEI *scrutetur*, ac Hominibus sapientiam *Divinam* largiatur? Apage homunciones, qui *Ratiunculis* suis Unicam tentant redarguere SAPIENTIAM, VERBO ab Æterno existenti terminum durationis apponere! *Gigantes* olim fuisse fingunt *Poetæ*, qui cum *Diis ipsis* Bellum gerebant: Nos hodie monstra hujusmodi horrenda reverâ cernimus: Pumiliones istos, *Infaustam* SOCINI *Propaginem*, aperto prælio cum DEO pugnantes! Omnia tenenti *Regis Regum* dextræ sceptrum excutere conantur! At dixerint fortasse se nobis concedere Reges in ipsos imperium esse JESU Nostri, ipsique deberi cultum Divinum. Hoc autem nil aliud est quàm *Ejus capiti coronam spinosam imponere*, & *in dextram ejus pro sceptro arundinem* (Matth. 27. 29.) Quis enim *Rex Regum* esse possit, omniaque terrena, ac cœlestia suo subjicere imperio, nisi OMNIPRÆSENS? Quis OMNIPRÆSENS, nisi DEUS? Cui verè debetur *Cultus Divinus*, nisi uni DEO, cum cultûs Divini *Ratio formalis* sit DEUM esse agnosci eum, cui exhibetur?

Utinam, Lectores, sibi plurimùm caveret *Juventus*

Juventus Academica ab *Hæresi* iſta, *Serpentis antiqui* prole, quæ *ſerpentis* inſtar *latere* gaudet, niſi cum *Calorem* quendam *Æſtivum*, ſcilicet *faventem* ſibi alicujus Animum ſentiat, tunc citò exilit, ſpargit venenum, ſuoque inficit colore infœlicem animum, DEO inviſum reddit, tantum non Mortis Æternæ faucibus jamjam correptum.

Veneno huic maximè lethali, quod Eccleſiæ propinat mendaciorum Pater, optimum præparavit *Antidotum* ſummus ille Vir reverendus in CHRISTO Pater MATHÆUS WREN ὁ Μακαρείτης: Explicat ille Scripturas ſacras & in clarâ luce reponit, quarum ſaniores ſenſus tortuoſâ ſuâ Tractatione involutos quodammodo imperceptibiles reddidit *Serpentinum Genus*.

Nos etiam, O JESU, OPTIME MAXIME, qui minores pro Te diſputandi vires accepimus, nomen tuum invocamus, noctes atque dies humillimè precamur, ut Eccleſiæ tuæ *laboranti* ſuccurras, uſque adeo lumen diffundas tuum, ut te ſemper DEUM laudemus, te DOMINUM agnoſcamus, nè falſâ *Rationis* adornandæ ſpecie capti verum animi Ornamentum

tum FIDEM amittamus. *Charitate* nostros perfundas animos, *Spem* Gloriæ tuæ participandæ in nobis quotidie adaugeas, ut de victis *Hominum Loquacium* erroribus Divinos semper *vivamus* Triumphos. *Amen. Amen.*

Disser-

Dissertatio Tertia.

1 ad Thessalonicenses 5. 16.

Semper Gaudete.

SEmper de omnibus DEO-ET-PATRI gratias agere necessariò includit Officium hoc nostrum *Semper gaudere:* Nam qui omnia, quæ à DEO unquàm ad se proficiscuntur, *Bona* sibi esse semper animitus agnoscit, ei nunquam deesse potest Gaudii materies, imò nec ipsum Gaudium: cum nil sit aliud gaudere, quàm complacere sibi Animum in amplexu *Boni* præsentis: scilicet hoc opus est, quod præcipue in hoc loco nobis præscribit *Apostolus.* Sed glorioso huic officio fungenti animo *Sensitivæ* etiam *Facultates* inservire debent, quod nobis probandum restat.

Supponimus interim ex præcedentibus orationibus satis constare debere *Animum* ex *Re* qualibet, aut *Eventu*, peccatis solummodò exceptis, sibi gaudii materiam attrahere. Omnibus in confesso est cum Res prosperas, utpote Corporis Sanitatem, Divitias, Honores nobis largitur DEUS, debere nos

Mentem adeo erigere in excitandis rerum istarum *Phantasmatis*, ut placidâ *Spirituum animalium* agitatione *vivida* vis Cerebro accrescat, & inde jucundissimè affecta exultent pectora. *Voluntariam* istam Corporis agilitatem, quæ tam ad Corporis, quàm Animi vires augendas plurimum conducit, *Sanctorum* dictis, factisque abundè nobis commendant S. *Scripturæ*. Testimoniorum instar omnium sit *Solomonis* istud, Eccl. 3. 4. "Tempus (est) *Flendi*, & tempus "*Ridendi*: tempus plangendi, & tempus saltandi. Risus, & saltatio *Sensitivam* istam gaudii partem seu *Lætitiam*, ut Fletus, & planctus mœrorem ostendunt. Scilicet pro Naturâ rerum externarum, quas objicit nobis *Providentia Divina*, in *Lætitiam*, aut *Tristitiam* aliquatenus indulgendam animum dare nostri est erga Sapientissimum rerum omnium dispensatorem officii. Affectus hosce contrarios sagaci cuique, ac verè prudenti viro facile est *moderari*, & ad *amussim* rectæ rationis accuratiùs exigere, nempe dum, nebulis *Opinionum* per *Veritatis* fulgorem dissipatis, mirabilem commodorum, incommodorumque *Misturam* respicit. Rectè quidem *Mantuanus*: "Commoditas "omnis sua fert incommoda secum: sic & incommoditas sua commoda.

Μιμί-

Μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσι, inquit *Hesiodus*. Sic DEUM alloquitur calamitatis (citra *Metaphoram*) *inundantis* fluctibus obrutus summus ille vir, *Gregorius Nazianzenus*, de vitâ suâ Carm. p. 3.

Πάντων ὑπογυὲς τῶν κάτω πρὸς σε βλέπω
Ζωὴ, πνοή μου, φῶς, κράτος, σωτηρία,
Φοβῶν, παλαίσων, μειδιῶν, ἰώμενος,
Πλέκων τὸ χρηστὸν τοῖς ἐναντίας ἀεί.

Diffisus imis omnibus rebus, Deus,
Te specto, vita, lux, salus, robur meum,
Qui nunc minaris, aut feris, nunc blandiens
Sanas, molestis inserens latas vices.

" Etiam hoc (Bonum temporale) ex ad-
" verso illius (Mali scilicet) facit Deus, inquit *Hominum sapientissimus.* Hæc nos deducunt ad instituti nostri præsentis *Apicem*, nempe ad enarrandum quale sit id *Lætitiæ* seu gaudii *Sensitivi* quod fatis acerbissimis agitati homines vere *Christiani* per *Rationem*, *Spiritu Sancto* adjuvante, *imaginationi* imperantem, inter ipsos *Planctus* exerunt. Hac de re profundâ mente cogitanti mihi Tria præcipuè dicenda occurrunt. Primò *lætantur* illi, quibuscunque conflictantur incommodis,

commodis, per *Redundantiam* gaudii Cœlestis à *Voluntate* deiformi in *Appetitum sensitivum* jugiter effusi: Ipsa sane Tristissimorum *Eventuum Phantasmata*, quibus inter cogitandum utitur DEO verè devotus Animus, suaviore quodam sapore perfundit placida *Intellectus* operatio, quàm ut iis sit admodum adversus vel ipse *Appetitus sensitivus*, licet Naturaliter ab iisdem maxime abhorreat. Usque adeo —— *Gaudet Patientia Duris.* Distat sanctorum dolor ab eo, qui *Mortem operatur*, 2 Cor. 7. 10. nec *Mundi dolor* sit illis ista *Ægritudo*, quam *Adversa mundana* afferunt. Secundò, viri Boni cum Fortunâ malâ colluctantes, iis quæ restant sibi commodis gaudere nunquam desinunt: qualescunque prosperitatis reliquias in adversa faciliùs toleranda mente sedulò revolvunt. Atque eò quòd primariæ eorum intentiones ad *Patrem luminum* perpetuò dirigantur, clarissimè perspiciunt, quid sibi agendum sit in gravissimis *Ærumnis*, quò finem omnium actionum suarum assequantur. Si qua etiam Bona externa, seu commoda, ut plerumque fit, Casus acerbus secum trahat, subitò hæc cernunt, penitus inspiciunt. Atque adeo φαντασίαις τραχείαις (*Epict. Enc. c.* 5.) *Visis asperis* perferendis quasi

fessam

fessam & laceratam *Imaginationem* recreant, sanant, *Spiritus depressos* erigunt. Vident illi non rarò ex ipso dedecore Honores sibi emergentes, ex ipsâ pauperie opulentiam, ex ipsis stultorum opprobriis summas laudes Sapientium: ex iniquis etiam virorum non improborum censuris *Divinam indolem* citra Fastum ostentandi occasionem. At rabidæ impatientiæ morsu cruciatus in adversis Animus huc, illuc discurrit: Inimicæ Fortunæ Telis *Imaginationi* infixis *se* vulnerat: Se furore agitatum (ut cum Poeta loquar) —— " Nunc huc, nunc dividit illuc, " In partesque rapit varias, perque omnia " versat: Omnia autèm sibi *adversa* sentit, distorquet sese, naturæ repugnat, *Voluntate* ab eo *avertitur*, quod *fecit* DEUS: Vult iste insanus animus, —— τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον. Ut verâ virtute præditus in adversis cum *Christo* patitur, sic patitur iste, qui vitiis, seu turpissimis Mundi amplexibus inhæret, *cum Diabolo*, & *Angelis ejus*, Matth. 25. 41.

Quod nobis ultimò dicendum restat de viribus Patientiæ *Christianæ* ad *Sensitivam* usque Animæ partem se exerentis, σὺν Θεῷ breviter admodum expediemus. Qui per *Christi* pro nobis *Crucifixi* vitam mundo emoritur,

moritur, calamitates omnes, durissima fatorum tela, pro *Clavis* habet, quibus *Cruci* affigit *Carnem* suam: Atque adeo turbidâ, ac omnimodè molestâ Cupidinum Mundanarum agitatione *cessante*, vel ipsa *Sanctorum* caro lætatur Mundo *crucifixa*, ab *infinito lumine illustrata Rationis* imperio subjecta. Quid mihi velim, vix aliquis *intellexerit*, nisi qui & *sentiet*.

Sic *rudi* (ut aiunt) *Minervâ* depinxi veram, ac vivam CHRISTIANI *lætantis*, utramque Fortunam in *omne gaudium* sibi procreandum vertentis, effigiem. *Rudi*, inquam, *Minervâ*, & paucis verbis, at verè quidem de rebus maximis locutus sum.

Fœlices ter, & ampliùs, qui suavissimam hanc *gustant* veritatem. Quàm sit Beata illius vita, qui —— "Virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas——" vidit *Claudianus*: virtutis quasi exultans amplexibus, sic ille cecinit *Genium heroicum*:

" *Ipsa quidem virtus pretium sibi: solaq; latè*
" *Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis*
" *Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.*
" *Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,*
" *Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis*
" *Casibus, ex altâ mortalia despicit arce.*

Qualia

Qualia ſcripſiſſet ſi *verè Chriſtianam* vivendi Rationem penitus inſpexiſſet clariſſimus Poeta! Qualia dixiſſet *Epicurus* ille ſummi ingenii vir, qui ſane Veritatis ſcintillulam aſpexit, cùm dixit vitæ Beatæ finem eſſe Μήτε ἀλγεῖν κατὰ Σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχὴν, Non dolere Corpore, ac Animo non perturbari: Qualia, inquam, dixiſſet ille, ſi *Apoſtolicum* hoc Πάντοτε χαίρειν intellexiſſet? quantâ indignatione proſecutus fuiſſet iſtiuſmodi literatos Homunculos, qui *Chriſtianorum* pariter ac Philoſophorum nomen ſibi arrogantes nihili minùs ſtudioſos ſe exhibent, quàm ut Mundana omnia animitus ſpernant, nec ad aliud *Gaudium* conſequendum anhelent, quàm quod nobis commendat Apoſtolus, Syncerum, Perpetuum? Quàm pauci (tantum non dixeram quàm nulli) eorum, quos *Divites*, quos *Honorabiles*, quos viros Magnos vocamus, verum cognoſcant Gaudere Gaudium!

"Ergo hominum genus incaſſum, fruſtraque (laborat
"Semper, & in curis conſumit inanibus ævum;
"Nimirum quia non cognoſcit quæ ſit habendi
"Finis, & omnino quoad creſcat vera volup- (tas.

 Multo

Multo magis τοῖς ἀληθῶς φιλοσόφοις, ϗ φιλοθέοις (ut Sancti *Gr. Nazianzeni* verbis utar) *Lucretiana* ista conveniunt, quàm ipsi *Lucretio*: nam quicquid iste immortalem esse Animum ignorans de verâ Hominis Voluptate *sensit*, vix dignum est quod vel pro minimâ habeatur *Gaudii Christiani* umbrâ: attamen fatendum est Altissimum Ingenium sapuisse aliquid voluptatis percipiendæ in spernendis Divitiis, Honoribus, atque iis, quibus inhiat adeo maxima pars hominum Voluptatibus. Suavia illa quæ cecinit Poeta hic ingeniosissimus, quia in iis cernitur aliqua *Veri Gaudii* imagnncula, recitare juvat:

" *Suave mari magno turbantibus æquora ventis*
" *E terrâ magnum alterius spectare laborem,*
" *Non quia vexari quenquam est jucunda voluptas,*
" *Sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est;*
" *Suave etiam belli certamina magna tueri*
" *Per campos instructa tui sine parte pericli:*
" *Sed nil suavius est bene quàm munita tenere*
" *Edita doctrinâ sapientum templa serena,* &c.

Nobis

Nobis etiam arridet egregium *Epiphonêma,*

> " *O miseras hominum mentes, ô pectora cæca!*
> " *Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis*
> " *Degitur hoc ævi, quodcunque est? nonne videre est*
> " *Nil aliud sibi Naturam latrare, nisi ut cum*
> " *Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur*
> " *Jucundo sensu, curâ semota, metuque?*

Nihil æquè valet ad *Firmandam*, aut *Recuperandam* Corporis sanitatem, ac Temperantia *Christiana*, & placida illa *Phantasiæ*, seu Imaginationis temperies, quæ *Gaudium spirituale* comitatur: Verè *Philosophicum* est illud *Platonis*: ψυχὴ ἀγαθὴ τῇ αὐτῆς ἀρετῇ σῶμα παρέχει ὡς οἷόν τε βέλτιστον. De Republ. L. 3. *Proverbio sacro* maximè consentaneum, VITA CORPORIS COR SANUM: cujus veritatis testem se præbet etiam *Siracides* Eccl. 1. 12. φόβος κυρίου τέρψει καρδίαν, καὶ δώσει εὐφροσύνην, καὶ χαρὰν, καὶ μακροημέρευσιν. Atque inevitabiles omnes Corporis dolores Animo Christiano cedunt in auxilia ad amovendam unicam proprii doloris causam, scilicet ipsius Animi *Pravitatem*, seu *iniquam* temperiem: Tali animo Mors ipsa

Corporis ſit tranſitus ad Glorioſam Vitæ ſuæ interminabilis Perfectionem.

Ad cœleſtem hanc tranquillitatem Terris jactatos Animos, ad delicias *Intellectuales ſenſibus* dedita Animalcula, quæ tamen *Rationalia* vocantur, ad Vitam Æternam Curis inanibus ſe magis, magiſque indies fatigantes, Ærumnis graviſſimis laſſatos Mortales ſub ingenti peccatorum pondere in Gehennam ruituros vocantem audiamus JESUM Noſtrum, Matth. 11. 28, 29, 30. “Venite “ad me omnes qui fatigati eſtis, & onerati, “ & ego faciam ut requieſcatis. Attollite “ jugum meum ſuper vos, & diſcite à me “ quòd mitis ſim, & humilis corde: & in- “ venietis requiem animabus veſtris. Ju- “ gum enim meum facile eſt, & onus me- “ um leve eſt. Jugum meum,&c. Hunc textum explicans de *Chriſtiano* ſic loquitur clariſſimus *Hammondus* Noſter: “ Unamquam- “ que antiquorum Philoſophorum ſectam “ ſpoliavit, à ſingulis diripuit,quod maximè “ quiſque in deliciis habuit: à Sceptico “ ἀδιαφορίαν, à Stoico μὴ ποιεῖν τραγῳδίας, “ Tragicè non queritur *Tragica* quantacun- “ que perpeſſus ſit, ab *Epicuro* γαλήνην, pla- “ cidam ac ſerenam Animi temperiem, cui “ acquirendæ per omnem Philoſophiæ cur-

“ ſum

" sum incubuit, tantâ voluptate abundanti, " ut & adhuc ille quasi porcus ingluvie sor- " didus existimatus sit, non aliam ob ratio- " nem, quàm ob quærendas eas Animi " placidè componendi causas, quæ alias vo- " luptates omnes longè superant: Ostenta- " tiones inquam, & Fastus isti, Somnia " ista Philosophorum, ac Spes evanidæ " *Christiano* cedunt in *Rem* verè acquisitam, " nempe hujusmodi *Epicurismum*, quem Fi- " des, & sola Fides se nobis præstare polli- " cetur. Ad sacras literas redeamus: JESU Nostri Spiritu excitatus sic olim clamavit Propheta *Evangelicus*: " Heus quisquis " sitit, venite ad istas aquas, &c. Isai. 55. 1, 2. Eodem spiritu adductus suaviter cecinit Nobilissimus Boetius: utinam nos homines *Feris* quandoque *ferociores* emolliat hic *Orpheus*, & *Agno* DEI tractabiles reddat.

" *Huc omnes pariter venite capti,*
" *Quos fallax ligat improbos catenis*
" *Terrenas habitans libido mentes.*
" *Hîc vobis requies erit laborum,*
" *Hîc portus placidâ manens quiete.*

Hæc *Senecæ* verba Doctrinæ Christianæ de *Vero Gaudio* maxime consentanea præterire haud æquum videtur. Pudeat Christianos

 sua-

ſuaviſſimam hujuſmodi Veritatem non guſtare, toto ſtudiorum curſu non exprimere, quam luculenter adeo ſtylo deſignat *Ethnicus*, Epiſt. 23. "Ego verò aliquid, "quod & mihi & tibi prodeſſe poſſit, ſcri-"bam. Quid autem id erit, niſi ut te ex-"horter ad bonam mentem? Hujus fun-"damentum quod ſit, quæris? nè Gaudeas "vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi? "Culmen eſt. Ad ſumma pervenit, qui "ſcit quo Gaudeat, qui Felicitatem ſu-"am in aliena poteſtate non poſuit. Solici-"tus eſt, & incertus ſui, quem ſpes aliqua "proritat; licèt ad manum ſit, licet non "ex difficili petatur, licet illum nunquam "ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac, "mi Lucili, Diſce Gaudere. Exiſtimas me "nunc detrahere tibi multas Voluptates, "qui fortuita ſubmoveo, qui ſpes, dulciſſima "oblectamenta, devitandas exiſtimo? imò "contrá. Nolo tibi unquam deeſſe lætiti-"am. Volo illam tibi domi naſci: naſce-"tur, ſi modo intra teipſum ſit. Cæteræ "hilaritates non implent pectus, ſed fron-"tem remittunt: leves ſunt: niſi forte tu "judicas illum *Gaudere* qui ridet. Animus "debet eſſe alacer, & fidens, & ſuper om-"nia erectus. Mihi crede, res ſevera eſt

"verum

" verum Gaudium. An tu existimas quen-
" quam soluto vultu, &, ut isti delicati lo-
" quuntur, hilari oculo mortem contem-
" nere? paupertati domum aperire? Vo-
" luptates tenere sub fræno? meditari do-
" lorum patientiam? Hæc qui apud se ver-
" sat, in magno Gaudio est, sed parum
" blando. In hujus gaudii possessione esse
" te volo. Nunquam deficiet, cum semel unde
" petatur, inveneris. Levium metallorum
" fructus in summo est; illa opulentissima
" sunt, quorum in alto latet vena, assiduè
" pleniùs respònsura fodienti. Hæc quibus
" delectatur vulgus, tenuem habent, &
" perfusoriam voluptatem: & quodcun-
" que invecticium Gaudium est, funda-
" mento caret. Hoc de quo loquor, ad
" quod te conor perducere, solidum est, &
" quod plus pateat introrsus.

Da veniam mihi, erudite Lector, *Senecæ* verbis recitandis diutiùs immoranti: nam exprimunt sanè Animi mei sensa: pergo itaque tibi propinare, quæ Ego gustavi dulcissima, Epist. 59. " Nunc ipse te consule:
" si nunquam mœstus es, nulla spes animum
" tuum futuri expectatione solicitat, si per
" dies, noctesque par, & æqualis Animi tenor
" erecti, & placentis sibi est: pervenisti

" ad humani boni summam. Sed si appetis
" voluptates, & undique, & omnes: scito
" tantum tibi ex sapientiâ, quantum ex
" gaudio, deesse. Ad hoc cupis pervenire,
" sed erras, qui inter divitias illuc venturum
" esse te speras. Inter Honores Gaudium,
" id est, inter solicitudines quæris? ista quæ
" sic petis, tanquam datura lætitiam, ac
" voluptatem, causæ dolorum sunt. Omnes,
" inquam, illi tendunt ad gaudium: sed
" unde stabile, magnumque consequantur,
" ignorant. Ille ex Conviviis, & Luxu-
" riâ: ille ex Ambitione, & circumfu-
" sâ Clientium turbâ: ille ex Amicâ: ali-
" us ex studiorum liberalium vanâ ostenta-
" tione, & nihil sanantibus literis. Omnes
" istos oblectamenta fallacia, & brevia deci-
" piunt: sicut ebrietas unius horæ hilarem
" insaniam longi temporis tædio pensat:
" sicut plausus, & acclamationis secundæ
" favor, qui magnâ solicitudine & partus
" est, & expiandus. Hoc ergo cogita, hunc
" esse Sapientiæ effectum, Gaudii æqualita-
" tem. Talis est sapientis animus, qualis
" Mundi status super Lunam: semper illic
" serenum est. Habes ergo, quare velis Sa-
" piens esse: quia nunquam sine Gaudio
" est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex
" Vir-

"Virtutum Conſcientiâ. Non poteſt Gau-
"dere, niſi Fortis, niſi Juſtus, niſi Tempe-
"rans.

Philoſophi eſtis, Academici: *Philoſophum* audiatis, DISCE GAUDERE: CHRISTIANI eſtis, CHRISTI Jugum ſuper vos attollite: Requiem animabus veſtris invenite: *Semper Gaudete.*

Diſſer-

Dissertatio Quarta.

1 Joh. 4. 7.

Dilecti, Diligamus alii alios.

DE *Amore* erga DEUM exercendo per *Infinitæ* ejus *Bonitatis* in CHRISTO nobis communicandæ intelligentiam, atque inde profluente *Gaudio perpetuo* hactenus peroravi.: Sequitur de Hominibus diligendis hoc in loco habenda oratio: nam qui DEUM amat, seu diligit, necesse est ut & Homines diligat Universos. Hæc est (inquit *Johan-*
" *nes*) *Charitas* DEI ut Mandata ejus ser-
" vemus, 1 Ep. 5. 3. Mandat autem (Luc.
" 10. 27.) ut diligas Proximum tuum
" (nempe quemcunque hominem) ut te-
" ipsum. Quod ad illum Affectum spectat quem *Amorem Complacentiæ* vocant, ex præcedentibus Orationibus satis constat, eum deberi cunctis Hominibus, quatenus *ex* DEO *sunt*, *i. e.* sub quacunque *ratione*, nisi in quantum Peccatores simpliciter, considerantur: hoc autem respectu *Odium* merentur, & DEI, & Nostrum: sed ut Peccatores

çatores *Pœnitentes* aut pœnitentiæ agendæ *Capaces* Amorem, seu *Charitatem*, tam *Complacentiam*, quàm *Benevolentiam* à nobis postulant, seu meritò sibi vindicant.

Ut quicquid ad Homines diligendos spectat rite perspiciamus, sentiamus DEUM in CHRISTO nos obligantem ad omnimodum Amorem legitimum legitimè, *i. e.* in ordine ad DEUM, erga omnes exercendum pro ratione variæ singulorum τοῦ Amari capacitatis. Per eam τοῦ Amari capacitatem intelligo inprimis *Charitatem* seu amorem erga DEUM, atque homines divinitus infusum, deinde Σχέσεις, seu Necessitudines Naturales, Politicas, Ecclesiasticas, Oeconomicas. Postremò Dotes Naturales, utpote eximias Memoriæ, aut Ingenii Vires, & omnia Animi Ornamenta acquisita: atque etiam qualemcunque hominum quoad Res externas conditionem, sive illi rebus in arduis, sive in prosperis versentur. " Dum tempus opportunum habemus " (inquit Apostolus *Epist. ad Galatas* 6. 10.) " simus Benefici erga omnes, maximè verò " erga domesticos fidei. Nimirum *Christianorum* Benevolentia erga homines augetur prout in iis spectatur auctior capacitas Benevolentiæ Divinæ per Christum effusæ:

Qui

Qui Deum *Actu* diligunt, *Omnia iis cooperantur in Bonum* : qui verò Charitatis vacuos Animos gerunt,his omne Bonum *Alienum* eſt, nec illis debetur Benevolentia noſtra, niſi in quantum *Charitatis*,ſeu *Naturæ Divinæ* capaces eſſe videantur.

Syncera dilectio ſecundum Σχέσεις naturales exercita Vis, & Norma eſt diligendi ſecundùm cæteras prædictas Neceſſitudines: nempe *Superiores* Politici, Eccleſiaſtici, Oeconomici, *Inferioribus* ſuis univerſis, & ſingulis affectum Paternum [redacted] debent; his Inferiores Filialem; ſibi invicem Æquales Fraternum. At, eheu! ubi gentium cernenda eſt hæc dilectio? mihi ſanè videtur maxima pars hominum vel eo nomine *Superiores* odio habere, quòd iis debeatur *Reverentia.* Fallit eos egregiè *Mendaciorum Pater* aliquo hujuſmodi *ſophiſmate* : Amor pares invenit, aut facit: Pares eſſe nolunt, ideoque amorem reſpuunt. Dum Hominibus propter DEUM ſubjici nolunt ſuperbientes homunculi, ipſi ſubjiciuntur DIABOLO, Naturam exuunt humanam, belluinâ pejorem induunt. Convenit certè noſtra omnium Experientia cum Dictis iſtis ingenioſiſſimi, doctiſſimi, generoſiſſimi *Zenophontis* : Πάσας ἀγέλας ἐδοκοῦμεν ὁρῶν μᾶλ-

λον

λον ἐθελούσας πείθεσθαι τοῖς νομεῦσιν, ἢ τοὺς ἀνθρώπους τοῖς ἄρχουσι. " Videre videbamur " Greges omnes lubentiùs Pastoribus suis " parere, quàm Homines Magistratibus. χαλεπώτεραι εἰσὶν αἱ ἀγέλαι πᾶσι τοῖς ἄλλοις, ἢ τοῖς ἄρχουσί τε αὐτῶν, καὶ ὀφελουμένοις ὑπ' αὐτῶν. Ἄνθρωποι δὲ ἐπ' οὐδένας μᾶλλον συνίστανται, ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας, " Imo, inquit, quibusvis aliis " infestiores sunt Greges, quàm iis, qui & " imperium in eos habent, & emolumenta " ex iis capiunt: quum Homines in nullos " majori coeant impetu, quàm quos in se im- " perium affectare sentiunt.

Qui verò Hominibus propter DEUM debitam *Reverentiam* præstat, nempe veram, ac genuinam *Superioritatis* eorum Agnitionem, *Humilitas* ejus, *i. e.* sui *Demissio*, *alienæ superioritatis* agnitio, in ipsum DEUM ultimò redundat. Quod ad Homines spectat, omnes *Naturæ Divinæ participes*, dum ad *interiorem Hominem* respicit, *Fratres* vocat, sibi quodammodo *Pares* esse agnoscit: Improbos autem fallacem *Voluptatis* umbram captantes, quantâcunque Opulentiâ, quantâcunque Potestate præditos, clarissimis Honorum Titulis insignitos, seipsos longissimè *inferiores* esse generoso quidem,

dem, ac planè *Heroico* Dolore perculsus sentit. Horum miserescit, non sui piget, quâcunque ipse premitur inopiâ, quâcunq; Infamiâ; cui verè Beato nil Magni, nisi in DEO OPT. MAX. æstimanti, argutissimi Poetæ (*Martialis*) verbis quemcunque sui similem adhortari liceat.

" *Miserere tu Fœlicium*
" *Veroq; fruere non superbus Gaudio.*

Si quis erga Sanctos *Amorem Complacentiæ*, erga omnes *Benevolentiam* aliquam exerceat, omnium ille Bonis omnibus perfruitur: iis præcipuè quæ Animi Bona appellamus. Quod ad *Sanctitatem* spectat, ex supra dictis satis constat singulis DEI amatoribus eam *placere* in aliis spectatam, quocunque modo sese exerentem: Quibus etiam eos *Placere*, seu *Jucundos* esse per omnia Bonorum suorum indicia, qui Dotes aliquas naturales eximias, & quævis acquisita Animi ornamenta, quascunque artes, & scientias factis, vel dictis præferunt, nullus dubitat, qui seriò ac profundè cogitat, reverâ esse illa omnia *Pulchri infiniti* Effluvia. Qui verò (ut verbis *Ciceronianis* utar, ad *Atticum* L. 7. Ep. 11.) *nè umbram unquam* τȣ̃ καλȣ̃ *viderint*, istos

sanè

sanè si non omnium hominum, at saltem inimicorum *Bona* perspecta se *Malè* habere faciunt: Sentiunt quodammodo aliorum opulentiam suam esse pauperiem: aliorum encomia sui vituperia: quippe in se convolutæ humi jacentes, sordidæ animulæ, sacræ ΚΟΙΝΩΝΙ'ΑΣ ignaræ, scilicet illius Sanctorum *Privilegii*, quo fit ut illis OMNIA cum DEO, & *Angelis* ejus, Sanctisque omnibus communia sint; hujus inquam ΚΟΙΝΩΝΙ'ΑΣ ignaræ, sordidæ Animulæ, Mundi amplexibus arctatæ, quod aliis attributum cernunt, id sibi esse *detractum* existimant.

Jam breviter ostendemus Externam Hominum Conditionem debitæ Charitatis erga ipsos exercendæ Occasionem nobis suggerere.

Calamitatis alienæ sensum *Christianorum* viscera commovere nemini non innotescit. Si Pii sint, ac verè *Christiani* quos magnis vitæ incommodis conflictantes videmus, clarissimas esse illos agnoscimus *Christi Patientis* imagines, Amore summo prosequimur, & quodammodo *Veneramur*. Imò sanè *venerabile* quiddam esse ingentem *Calamitatem* sentiebant aliqui Ethnicorum. *Res est sacra Miser*, inquit *Seneca*.

Homerus

Homerus ille (“ a quo, ceu fonte perenni “ Vatum Pieriis ora rigantur aquis) *Priami Filium Achilli* ipsum interempturo his verbis supplicantem inducit Iliad. φ.

Γουνῦμαι σ' Ἀχιλεῦ, σὺ δὲ μ' αἴδεο, καὶ μ' ἐλέησον.
Ἀντὶ τοι εἶμ' ἱκέταο διοτρεφὲς Αἰδοίοιο.

“ Genua tua tango, Achilles, tu autem me “ Venerare: loco tibi sum Supplicis (ô No- “ bilis) Venerandi. Nimirum viris hisce sagacioribus Genio eximio præditis *Heroum* quodammodo Proprium esse videbatur Ingenti aliquâ Calamitate urgeri. Hinc illa *Seneca* (*L. De Providentiâ*) “ Prospera “ in plebem, ac vilia ingenia deveniunt: “ at Calamitates Terroresque mortalium “ sub jugum mittere proprium magni viri “ est. Sin Impii meritò habeantur, quos Fatis acerbis agitatos cernimus, nos *miseret* eorum tam propter *Miserias* Temporales, quàm propter illa, in quibus versantur, Mortis Æternæ Pericula: Et nos sanè plurimum Juvat, si quâ in re illos Adjuvare posse videamur. Hic etiam notandum est, quòd *Christianæ Benevolentiæ* Occasio fit hoc ipsum *Displicentiæ* objectum, nempe vel maxi-

mia

ma inimicorum *Malevolentia.* " Dico vobis, " inquit Christus Dominus Noster, diligite " Inimicos vestros. At dixeris fortasse, Nonne Piis omnibus Necessitas incumbit ipsam inimicorum suorum Inimicitiam Odio prosequendi? Imò sanè: summo Odio ipsam prosequuntur, sed præcipuè hanc ob rationem, quia ipsis Inimicis nocet. Sancti viri diligendo Inimicos vincunt Seipsos, Hostes sibi omnium infensissimos.

"*Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit*
" *Mœnia* ——

Qui DEUM diligit propter Seipsum, & Homines universos propter DEUM, is sanè quicquid ex DEO est in quibuscunque Hominibus, Probat, Amat, pro Pabulo Charitatis inextinguibilis sibi arripit. *Plutarchus* in hoc *Paradoxo* explicando, magnam utilitatem ex Inimicis esse percipiendam, " Videtur mihi, inquit, Doctissimo " *Raynoldo* interprete, quo nihil habent ini- " micitiæ magis noxium, id, si animum ad- " verterimus, utilissimum futurum: quid " illud tandem est? Inimicus semper Vigi- " lans, tanquam ex insidiis observat quid " agas, & ansam quærens perlustrat undiq;

" vitam tuam. Et quemadmodum Vul-
" tures ad cadaverum odores advolant, syn-
" cera, ac sana Corpora non sentiunt; sic in-
" firmis vitæ partibus, & vitiosis, & affectis
" commovetur Inimicus; in eas prosiliunt,
" qui nos oderunt, eas contrectant, atque
" adeo concerpunt. Hoc igitur commodum
" ad te redundat, quòd circumspectè viven-
" dum est, tibique ipsi attendendum, &
" neque faciendum quicquam negligenter,
" & incautè, nec dicendum; sed conser-
" vandi semper, tanquam in accuratâ victus
" ratione, Mores incorrupti, quos nemo me-
" ritò reprehendat. Ejusmodi namq; cau-
" tio, quæ comprimit affectus Animi, &
" Animum in se colligit, studium & pro-
" positum vitam inculpatam ac integram
" agendi nobis ingenerat. Saluberrima *Plutarchi* Sententia ad sanandas Mentes Ægras sæpissimè adhibenda est: nempe hæc facillima est Inimicis nostris Ignoscendi via, Sæpiùs cogitare, quàm Bonum sit nobis Exerceri Odiis, & Inimicitiis acerbissimis. Hujusmodi est ista *Christianorum* in hoc Sæculo *Militantium Victoria*, *Inimicos diligere*, ut Indicium sit certissimum *Triumphi* in Cœlis Futuri in Æternum. Jam forsan desideret aliquis Animi mei sensa de *Relatione*
illâ,

illâ, quam *Amicitiam* vocamus: Dico igitur eam nil aliud esse quàm *Christianàm* erga *Christianos* Dilectionem, Dictis, Factisque prout se offert Occasio explicatam. Huic *Amicitiæ* definitioni nequaquam non convenit quod de eâ antiquorum Philosophorum præstantissimi senserunt: mihi itaque operæ pretium esse videtur quorundam eorum, nempe *Aristotelis*, *Pythagoræ*, *Ciceronis* sententias referre. At infra *Amicitiam* Nostram tantùm subsidunt eorum cogitata, quantùm infra *Charitatem Christianorum* præstantissimæ *Ethnicorum* Virtutes; quæ verò quales fuerint, quo pretio apud DEUM æstimatæ, non Meum est differere. *Aristoteles* (ut testatur *Laertius*) *Amicitiam Mutuam Benevolentiæ Æqualitatem definiebat.* Τὴν Φιλίαν ὡρίσατο ἰσότητα Εὐνοίας ἀντίςροφον. Nempe hæc fuit *Philosophi* sententia, unum Amicorum Amorem ab altero non majorem sibi vendicare, quàm illi se debere agnoscit. Τελεία ἐςὶν (inquit idem clarissimus *Stagirites* Ethicorum L. 8. c. 3.) ἡ τῶν ἀγαθῶν Φιλία, καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων, οὗτοι γὰρ τ'ἀγαθὰ ὁμοίως ἀλλήλοις βούλονται ᾗ ἀγαθοί. "Perfecta est "Bonorum amicitia, & eorum qui virtute "sunt similes: hi enim mutuò sibi Bona "similiter volunt, quatenus sunt Boni. Ca-

pite quarto ejusdem Libri, *οἱ ἀγαθοὶ*, inquit, *ἡδεῖς ἀλλήλοις*. Hîc, atque alibi etiam abundè testatur se perspexisse veritatem istam, Viros Bonos seu Virtute præditos in mutuam sui cognitionem, & societatem coalescentes sibi invicem *maximè Placere*, Jucundissimam sibi invicem suam præstare vivendi rationem.

Pythagoricos pro summo habuisse *Amicorum* Officio se invicem Meliores, nempe magis magisque indies DEO similes facere, his verbis testatur *Jamblicus*: Postquam de eximiis quorundam *Pythagoricorum* erga Socios Amoris indiciis quoad Res Externas prolat's fusiùs disseruisset, *Καλὰ μὲν οὖν*, inquit, de Vitâ *Pythagoræ*, C. 33. *καὶ ταῦτα τῆς φιλίας τεκμήρια. πολὺ δὲ τούτων θαυμασιώτερα ἦν τὰ περὶ τῆς κοινωνίας τῶν θείων ἀγαθῶν, καὶ τὰ περὶ τῆς τοῦ νοῦ ὁμονοίας, καὶ τὰ περὶ τῆς θείας ψυχῆς παρ' αὐτοῖς ἀφορισθέντα. παρήγγελλον γὰρ θαμὰ ἀλλήλοις μὴ διασπᾶν τὸν ἐν ἑαυτοῖς Θεόν. οὐκ οὖν εἰς Θεοκρασίαν τινὰ καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἕνωσιν, καὶ τὴν τοῦ νοῦ κοινωνίαν, καὶ τὴν τῆς Θείας ψυχῆς ἀπέβλεπεν αὐτοῖς ἡ πᾶσα τῆς φιλίας σπουδὴ δι' ἔργων τε καὶ λόγων.* "Pulchra igitur, & eximia hæc "quoque sunt Amicitiæ indicia: multò au-"tem hisce ea admirabiliora erant, quæ de

"Com-

" Communione Sanctorum Bonorum, & de
" mentis concordiâ, & de Animâ Divinâ
" apud ipsos definita, determinataque erant.
" Admonebant enim sese mutuò, nè Deum
" qui in ipsis esset, discerperent. Itaque in
" Divinam quandam Temperiem, atque
" Unionem cum Deo, & mentis animæque
" communionem apud ipsos universum A-
" micitiæ studium tum factis, tum dictis
" respiciebat.

Credo autem hujusmodi Notiones haud aliter concepisse *Ethnicorum* Animos, nisi modo aliquo *Extraordinario* à *Patre Luminum* benignè Illustratos; nec possit nostram evertere sententiam *Audacissima Ignorantia literatâ Verbositate suffulta.* Nè tentent *Christiani* Ethnicos probare nullam habuisse *Veri Dei* Notitiam, sed pudeat eos Magna hæc, ac planè cœlestia tam rarò, aut nunquam *Operibus* ostendisse, quæ de Honoribus, & Divitiis spernendis, de Voluntate nostrâ DEO semper in omnibus subjugandâ, quæ denique de Hominibus, etiam Inimicis Diligendis, clarè adeo Ethnici scripserunt. At, inquiunt, pauperculi *Stoici* sunt, nullius pretii homunculi, qui magnanimè adeo profitentur se contemnere Opulentiam. Apage Mendacia! *Marcus Aurelius Antoninus*

ninus tam *Ingenii*, & *Doctrinæ Princeps*, quàm Romanorum Imperator, testatur se, summas inter Opes, summis auctum Honoribus, hoc verum perspexisse, Nihil intus habere veræ Fœlicitatis summam Opulentiam, aut Potestatem, vel ipsam Imperatoriam. Sed quorsum ego? Jam alium *Ethnicum*, nempe *Ciceronem de Amicitiâ* sanctè quodammodo loquentem audiamus. "Ego vos hor-
" tari tantùm possum, inquit ille, ut Amiciti-
" am omnibus rebus humanis anteponatis,
" nihil est enim tam naturæ aptum, tam
" conveniens ad res vel secundas, vel ad-
" versas. Sed hoc primum sentio: Nisi in
" Bonis Amicitiam esse non posse.

" Est autem Amicitia nihil aliud nisi om-
" nium Divinarum, Humanarumque rerum
" cum Benevolentiâ, & Charitate summâ
" consensio.

" Quid dulcius quàm habere quicum om-
" nia audeas sic loqui, ut tecum? quis esset
" tantus fructus in Prosperis rebus, nisi ha-
" beres, qui illis æquè ac tu ipse, gauderet?
" Adversas verò ferre difficile esset sine
" eo, qui illas graviùs etiam, quàm tu,
" ferret.

" Cum plurimas, & maximas Commodi-
" tates Amicitia contineat, tum illa nimirum

" præstat

“ præstat omnibus, quo bonâ spe prælucet
“ in posterum; nec debilitari animos, aut
“ cadere patitur. Verum etiam Amicum qui
“ intuetur, tanquam Exemplar aliquod
“ intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt,
“ & egentes abundant, & imbecilles valent,
“ & quod difficilius dictu est, Mortui Vi-
“ vunt: tantus eos Honos, Memoria, Desi-
“ derium prosequitur Amicorum: ex quo
“ illorum Beata Mors videtur, horum Vita
“ Laudabilis.

“ Ubi eos inveniemus, inquit, qui hono-
“ res, Magistratus, Imperia, potestates, opes
“ Amicitiæ non anteponant?

Imò Philosophe, ubi eos inveniemus, qui non Amicitiam, quasi *Chimæram* quandam, seu *Inane Vocabulum* ludibrio habent? ἀλλὰ ταῦτα μὲν (ut *Simplicii* verbis utar) τῇ περὶ τὴν φιλίαν ἐπιθυμίᾳ κεχαείσθω, τῇ κἂν ἐν ὀλίγοις αὐτὴν ἐφιεμένῃ ὁρᾶν διὰ τὴν παντελῆ σχεδὸν αὐτῆς ὑπὸ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ἀνθρώπων ἀναχώρησιν. “ Atque hæc Amicitiæ desiderio tri-
“ buta sint, quam vel in paucis cernere op-
“ tabile est, nostrâ ætate propemodum
“ penitus è vitâ mortalium profligatam.

Si vero, candidissimi Lectores, in Terris degentes cum paucis admodum, seu potiùs nullis, omnibus numeris absolutum Amici-

tiæ fœdus inire possimus; at saltem Amicitiæ Fundamentum, *Synceram Dilectionem* firmiter teneamus: Quicquid *Ex Deo* est in quocunque Homine Ardeamus, Celebremus, arctissimo stringamus amplexu. Sic tandem nos omnes relictâ hâc vitâ densissimis ignorantiæ tenebris undique obvolutâ, in luce clarissimâ apud DEUM OPT. MAX. repositi, summâ Amicitiâ cum Gloriosissimo, Incomprehensibili *Triuno Numine*, cum Angelis Ejus, Sanctisque omnibus in Æternum perfruemur. Cujus Beatitudinis Inenarrabilis Expectatione gaudentes Hymnum Angelicum Cantemus, Δόξα ἐν Ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς Εἰρήνη, ἐν Ἀνθρώποις Εὐδοκία.

Disser-

Dissertatio Quinta.

Matth. 5. 5.

Beati Mites, *quoniam ipsi possidebunt Terram.*

SAcri hujus *Apophthegmatis* sensum, nempe *Christianos*, eosque solos vel in hâc vitâ Fœlices esse, ex præcedentibus Sermonibus facile est colligere, Beati Mites, nempe Agno DEI consimiles, *Verè Christiani*, quoniam ipsi possidebunt Terram. Totus Terrarum Orbis fit quodammodo Eorum Possessio, cum nil sit aliud *Semper Gaudere*, quàm *Rebus* omnibus, ac *Eventis* per *Mysticam* illam in Evangelio prædicatam cum DEO in CHRISTO *Unionem*, perfrui; Atque adeo pro Bonis Nostris *Omnia* habere, firmiter tenere. Si quis objiciat, Dixit Apostolus, " Si in hâc " solùm vitâ speramus, miserrimi omnium " hominum sumus, 1 Cor. 15. 19. Quomodo itaque verum sit *Christianos*, eosque solos vel in hâc vitâ Fœlices esse? Respondeo, Non aliter Fœlices sunt in hâc vitâ *Christiani*, nisi

nisi Sperando se esse futuros DEO INCARNATO Undiqnaque Conformes, "Quoniam Videbunt Eum, sicuti EST, " 1 Joh. 3. 2. Et, v. 3. Quisquis habet " hanc Spem in Eo (inquit Apostolus) pu- " rificat se, sicut & Ille Purus est. A *Puritate* illâ Animi Temperie planè Divinâ jugiter effluunt in intima Animi penetralia hujusmodi Gaudia, ut eadem capienti quicquid unquam adversi contigerit, in Perpetuam Gaudii amplioris Occasionem evadat: scilicet CHRISTIANI *Proprium est, De iis quæ patitur Gaudere*; Illi fideliter inhærendo, Qui LUCEM Fecit ex TENEBRIS Oriri, qui OMNIA Produxit ex NIHILO. CHRISTIANORUM esse Omnia quæ sunt in Cœlis, aut in Terris, Omnia Illis tam *Aspera*, quàm Jucunda in emolumentum cedere his verbis clarissimè ostendit Apostolus, 1 Cor. 3. 21, 22, 23. " Cuncta vestra sunt. Sive Paulus, sive " Apollo, sive Cepha, sive Mundus, sive Vita, " sive Mors, sive Præsentia, sive Futura, om- " nia vestra sunt. Et vos *Christi*, & *Christus* " DEI. Nempe qui per *Hominem Christum Jesum, Dominum Suum* DEI Fiunt *Possessio*, *Illis* se DEUS *Possidendum* exhibet, in quo sunt Omnia. *Cuncta in Illo subsistunt*, inquit

quid Sanctus *Gregorius* in Expos. in B. *Job.* c. 23. à *quo creata sunt. Quæ Creata sunt,* inquit Sanctus *Hieronymus* in Epist. ad *Damasum, etiamsi videntur Esse, non Sunt, quia aliquando non Fuerunt: Et potest rursum non Esse, quod non Fuit.* DEUS *Solus, qui Æternus est, hoc est, qui Exordium non habet,* Essentiæ nomen verè tenet. Nec ipsas *Ethnicorum* Scholas prorsus latuerunt hujusmodi Νοήματα: hinc Πολυθρύλλητον istud, Σοφῦ Πάντα εἶναι. At verò cùm nonnulli qui *Christianos* se esse profitentur, hujusmodi veritatem quasi *Commentum Ethnicorum* pro Ludibrio habeant, ipsa SALVATORIS nostri verba Textus hujus *Beati Mites* —— Sensus intimos explicantia in medium proferemus, Marc. 10. 29, 30. "Respondens "Jesus ait, Amen dico vobis, Nemo est qui re-"liquerit Domum, aut Fratres, aut Sorores, "aut Patrem, aut Matrem, aut Filios, aut A-"gros propter me, & propter Evangelium, "Qui non accipiet centies tantum nunc in "tempore hoc, Domos, & Fratres, & Sorores, "& Matres, & Filios, & Agros cum persecu-"tionibus, & in sæculo futuro vitam Æter-"nam. Hæc verba augustissima, & plena DEO, Doctissimum, Sanctissimumq; virum *Thomam Jackonum* τὸ Μακαρίτην ad Eximia hæc

hæc Animi sui planè Divini sensa exprimenda, & in Libro suo cui Titulus *Justifying Faith* C. 27. S. 3. Posteris tradenda excitârunt. "Ut stylo, inquit, utar "Philosophico, Sicut ipsa Sanitas, seu recta "Corporis habitudo, sic multo potius Animi Sanitas, nempe quicquid pro nostro "habemus Gaudii, aut Hilaritatis intus "nobis exoritur; quod ad *excitandum* solummodo, aut *maturandum* Externa conducunt. Sicut autem nulla potest esse "Ignis indigentia, nisi Claudis, aut Ignavis; "dum idem Calor, quem hic exhibet, ab "ipso Sole tam facilè petendus sit, vel melius procurandus à Motu proprio, seu fervidâ Sanguinis, & Spirituum Agitatione: "Sic nec Damnum esse potest Amicis, Opulentiâ, & Honoribus privari, dum omnium illorum, quæ ullo modo ab iis provenire queant, Solatiorum Florem, ac "Quintessentiam multo abundantius accipere possimus, ab Animorum nostrorum "placidâ Fruitione, & Liberis Exercitiis, "seu Recto Facultatum optimarum Usu, "præcipuè Munerum in nobis Divinorum "Excitatione, quibus ipsi Christo Uniti sumus, Qui plus sanè cuilibet Fideli Animo "est, quàm *Hannæ* fuit ille *Elkanah*, non

"tantùm

" tantùm multis Filiis præferendus, sed Is " etiam in Quo, licet præter Eum nihil ha-" beamus, Justissimo Dominii Titulo Om-" nia Possidemus. " Ut nihil habentes (de omnibus *Verè Christianis* loquens ait Apostolus (2 Cor. 6. 10.) & tamen Omnia " Possidentes. Eodem *Spiritu* adductus sic loquitur *Origenes*, τοῦ Πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, τοῦ δὲ Ἀπίστου οὐδὲ Ὀβολός, *Philocal.* C. 26. Ejusdem Veritatis Testem *Prosperum* habemus in Libro secundo de Vitâ Contemplativâ C. 16. " Quem Possidendi de-" lectat Ambitio, DEUM qui Possidet " Omnia quæ Creavit, expeditâ mente pos-" sideat, & in Eo habebit quæcunque ha-" bere Sanctè Desiderat. Sed dies me deficeret si omnia proferrem, quæ facilè occurrunt, *Patrum* Testimonia: Instar omnium erit Sancti *Basilii* Sententia, qui in Operibus suis Veritatem istam, Verè Christianos vel in hâc vitâ Fœlices esse, *Veris Divitiis* affluentes, hanc, inquam, *thesin Evangelicam* summo Ingenii Acumine, Eloquentiæ Splendore, Sapientiæ pondere explicavit, adornavit, confirmavit. Mihi sanè millies repetita placebunt hæc verba quæ in Ejus *Homiliâ* de Gratiarum Actione occurrunt. ψυχὴ ἡ ἅπαξ προσδεθεῖσα τῷ Θε-

θῷ τοῦ Κτίσαντος, &c. "Anima, inquit, quæ "semel se desiderio astrinxit sui Creatoris, jamque insuevit oblectare se tantæ "illius Pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud Gaudium, "animique sui jucundissimam diffusionem "intercipi, aut immutari per multitudinem, "aut succedaneam Carnalium Affectionum "mutationem, quin ea potiùs quæ aliis mœrorem afferunt, & tristitiam, in cumulum "sibi vertet, & accessionem Lætitiæ. Humillimè vos oro, & obtestor, Candidi Lectores, ut Totam hanc *Homiliam*, atque illam etiam cui Titulus *Quod DEUS non est Autor Mali* sedulò evolvatis, Utramque invenietis Dogmate Cœlesti, Curvis in Terras Animis Inviso repletam: inde abundantiùs haurietis *Dulcedinem* omnia quæ in hâc vitâ gustamus Amara superantem, & Verè Dulcia eadem facientem: Dulcia, inquam, nam pro *Christo* Κακοπαθεῖν Ἡδύ, ut idem Testatur *Basilius* in Epistolâ suâ, (211) ad *Macarium*, & *Joannem*. Pro *Christo* autem affliguntur, qui Fata Dura, horrida quocunque modo à *Providentiâ Divinâ sibi* illata Animo verè *Christiano* patiuntur. De *Euláliâ* Martyre Animum plusquam virilem gerente Virgine sic cecinit Nobilissimus

Prudentius:

Prudentius. Πεϱὶ Στεφάνων.

——*Trepidos*
" *Terruit aspera Carnifices*
" *Supplicium sibi dulce rata.*

Quæ (Teste eodem *Prudentio*) hujusmodi Sermone *Tortorem* aggressa est:

" *Ergo age, Tortor, adure, seca,*
" *Divide membra coacta luto.*
" *Solvere rem fragilem facile est;*
" *Non penetrabitur interior*
" *Exagitante Dolore Animus.*

Fructuosum Martyrem Cruciatus Mortiferos jamjam subiturum viros Adstantes sic esse allocutum Testatur etiam *Prudentius*:

" *Non est, credite, Pœna quam videtis,*
" *Quæ puncto tenui citata transit,*
" *Nec Vitam rapit illa, sed Reformat.*

Hujusmodi esse Fortitudinem *Christianam* facilè admittit *Fides* Nostra, cum Dogmata ista *Heroica* protulerit vel *Ethnicus* Poeta sub Personâ *Catonis* Milites suos Periculosas *Lybies* Arenas ingressuros alloquentis, Lucan. L. 9. "——*Ser-*

"—— *Serpens, Sitis, Ardor, Arenæ*
"*DULCIA Virtuti: GAUDET Patientia Duris.*
"Lætius *est quoties magno sibi constat Honestum.*

Sic *Rebus Adversis* Fruuntur *Mites.* Quod ad Honores, Voluptates, Opes spectat, eorum *Summitates*, & *Quintessentias* sibi ingerunt. Quis dubitet esse illos Verè *Honorabiles*, qui ab ipso *Cælo* deducunt *Originem*, & DEUM *Patrem* vocant? "Selectissimæ Voluptates, ut optimè Notavit supra laudatus *Jacksonus* S. 3. C. 23. " quas Mundus & Caro " offerunt licet non essent Vetitæ, nec Con- " scientiæ stimulo obnoxiæ, *Faces* quodam- " modo esse eas existimare debemus; quas " Magnanimè respuere, aut sine illis in- " tegrâ Animarum nostrarum Possessione " gaudere, Delectationis istius, quam alii " in illis hauriendis percipiunt, quasi Flos, & " Quintessentia est. Sic etiam respectu Exterioris Hominis *Mites*, nempe *Sapientiæ Filii*, facilè evadunt *Opulentissimi:* nam *Imaginariam* Exterminant Paupertatem, quâ plurimi Mortalium miserè gravati perpetuis Ærumnis succumbunt. Sunt autem

Pauca

Pauca admodum quæ Veram Paupertatem profligant :

Pauper enim non est, cui rerum suppetit Usus, ut cecinit *Horatius*. Et Rectè quidem *Lucretius*, Lib. 2.

——" *Corpoream ad Naturam pauca videmus*
" *Esse opus omnino, quæ demant quemque Dolorem :*
" *Delicias quoque uti nullas substernere possint*
" *Gratius interdum neque Natura ipsa requirit,*
" *Si non Aurea sunt Juvenum simulachra per Ædes,* &c.
" *Nec calidæ citiùs decedunt Corpore Febres*
" *Textilibus si in Picturis, ostroq; rubenti*
" *Jactaris, quàm si Plebeia in veste cubandum est.*
" *Quapropter quoniam nil nostro in Corpore Gazæ*
" *Proficiunt, neque Nobilitas, neque Gloria Regni,*
" *Quod superest, Animo quoque nil Prodesse putandum.*

Pudeat eos, qui *Christi* Discipulos se esse Profitentur, Magni æstimare *Divitias Operosiores,*

siores, & Fastuosam Gloriolam hujus Sæculi, & quæcunque *Populus* Admiratur, quæ flocci habuit *Lucretius*, *Tenebrarum Regno* deditum, miserum *Animalculum*. Quàm Potens sit hæc Veritas, quæ vel ipsum *Pervicit Lucretium*, & quasi *Triumphatum* ostentat! nempe Nil esse Omnia, quæ Absentia tanto Hiatu appetunt, Præsentia tam Avido occupant Amplexu Avari, Ambitiosi, Lascivi! Scilicet, Lectores, cuicunque affulsit aliquantula *Rectæ Rationis* Scintillula, necesse est ut celeberrimæ *Socratis* sententiæ acquiescat, qui Interrogatus, Quis Ditissimus esset, Respondit, ὁ Ἐλαχίστοις Ἀρκούμενος· Αὐτάρκεια γὰρ φύσεως ἐστι πλοῦτος· *i. e.* "Paucissimis contentus; nam Animus contentus "est Naturæ Opulentia. *Contentum suis Rebus esse*, inquit *Cicero*, *maximæ sunt*, *certissimaque Divitiæ*. *Christiani* igitur sunt *Ditissimi*, nam hic Sermo est non tantùm Sancti *Pauli*, sed & omnium eorum, qui *Christum* sequuntur, Phil. 4. 11. Ἐγὼ ἔμαθον ἐν οἷς εἰμι Αὐτάρκης εἶναι, "Ego didici in quibus sum, iis ipsis "Contentus esse. Clarissimè ostendunt *Sacra Proverbia*, *Plus* Commodi accipere *Mites* in Minimis Rerum Terrestrium, quàm hujus Sæculi Amatores in omnium Rerum istarum affluentibus Copiis; Prov. 15. 16, 17.

17. "Melius est Parum cum Reverentiâ
"Jehovæ, quàm Thesaurus amplus, ubi
"est Vexatio. Melius est Cibarium ole-
"ris ubi est dilectio, quàm Bovis saginati,
"ubi est Odium. Ut clariùs appareat quanta sit *Sanctorum* Possessio Mente purâ & simplici, Illud Apostoli contemplemur, Rom. 8. 16, 17. "Et ipse Spiritus testa-
"tur Spiritui nostro nos esse Filios DEI:
"quod si Filii, etiam Hæredes: Hæredes
"quidem DEI, Cohæredes autem *Christi.*
"*Christus* autem Hæres Omnium, Hebr. 1.2. *Christus* est *Jehova*, de quo sic cecinit *Psalmista*, Ps. 24. 1. "Jehovæ est Terra &
"quod implet eam, Orbis Habitabilis, &
"Habitantes in eo. Hîc Prædicat *Psalmista* tam Res, quàm Personas Omnes quodammodo *Possessionem* esse Omnium *Christianorum*, quod etiam ostendit *Apostolus*:
"Sive Paulus, &c. Omnia Vestra sunt.
"Cœli enarrant Gloriam DEI fortis, &
"Opus manuum ejus indicat Expansum
"eorum, Psal. 19. 1. Cum ipse DEUS sit *Portio* Nostra, quidni Cœli etiam, & illa quam Cœli enarrant, DEI Gloria accedant nobis in *Possessionem* Æternam? Si *Gaudens Popularibus Auris* (ut *Virgilii* verbis utar) paucorum Hominum *Plausus* oblatos avidè

 acci-

acciperet, in quantam Lætitiam *Christianorum* Exultent Pectora, quorum *Gloriam* Cœli enarrant; quorum clarissima Encomia Omnes *Angeli*, imò & singulæ Creaturæ in Cœlis, & in Terris resonant! Nostræ enim sunt DEI Laudes, cum *Portio Nostra* sit ipse DEUS Per *Jesum Christum*, *Dominum Nostrum*. At, at! Impossibile est omnino Magna, & Excelsa *Christianorum Privilegia* Discernere, nisi FIDE, quæ per CHARITATEM operatur, Mentis Oculo affulgente, Per *Spiritum Sanctum* difflato (ut Magni *Gregorii* verbis utar) *Terreni Amoris Pulvere*. Gestit Animus Ardentissimam *Boetii* Precationem recitare:

"*Da, Pater, Augustam Menti conscendere Sedem,*
"*Da Fontem lustrare Boni, Da Luce repertâ*
"*In Te conspicuos Animi defigere visus.*

Fateor autem incredibili quâdam Dulcedine perfudisse mihi Animum plurima *Stoicorum* Dogmata, quæ *Tenues* quasi *Umbræ* esse videntur *Sapientiæ Cœlestis*, quæ sola potest talia largiri Munera, quæ vocat *Christus* (Luc. 16. 11.) Μαμωνᾶν τὸ Ἀληθινόν. Quam

sit

ſit clarum, & Auguſtum illud Axioma, Ὅτι Μόνος ὁ Σόφος Πλούσιος. *Animis Cœleſtibus* ſe miris modis Accommodant *Arriani*, *Epicteti* Dogmata explicantis Scripta Egregia. Sic Ille ſtimulat, excitat, & ad ipſum DEUM contemplandum provocat Segnes, & Affectibus Terrenis immerſas miſeras Animulas, L. 2. C. 16. ἴδε πῶς τραγωδία γίνεται, ὅταν εἰς μωροὺς ἀνθρώπους πράγματα τυγχάνοντ' ἐμπέσῃ; πότε οὖν Ἀθήνας πάλιν ὄψομαι, καὶ τὴν Ἀκρόπολιν; Τάλας, οὐκ Ἀρκεῖ σοι ἃ βλέπεις καθ' ἡμέραν; Κρεῖττόν τι ἔχεις, ἢ μεῖζον ἰδεῖν τοῦ Ἡλίου, τῆς Σελήνης, τῶν Ἄστρων, τῆς Γῆς ὅλης, τῆς Θαλάσσης; εἰ δὲ δεῖ Παρακολουθεῖν τῷ Διοικοῦντι τὰ Ὅλα, κἀκεῖνον ἐν Σεαυτῷ περιφέρεις. "Viden' ut Tragœdia oriatur, "cum res leves in ſtultos homines incide-"runt? Ah, quando Athenas, & Arcem "iterum videbo? Miſer, non ſatis ea tibi "ſunt, quæ quotidie vides? Poteſne præ-"ſtantius aliquid videre aut majus Sole, "Lunâ, Stellis, Terrâ Univerſâ, Mari? "Quodſi rem verè intelligas, etiam Univer-"ſitatis Gubernatorem circumfers in teipſo. O Bone Deus! Noſtris Temporibus quàm raró *Scintillat* illud in Operibus Chriſtianorum *Lumen Tuum*, quod adeo *Coruſcat* in ipſis quorundam *Ethnicorum* Scriptis! quàm

quàm Rarum hujusmodi Virtutis Exercitium! nempe Solem, Lunam, ac Stellas Corporis, atque Animi oculis intuendo Superba Nobilium Tecta, & Splendida Ædificia Contemnere! Nec aliquid Magni æstimare, nisi sit ejusmodi, ut Possessorem sui Evehat ad DEUM! Nonne apud nos etiam auditur Vox ista, aut saltem *Praxis* spectatur Eidem congrua:

" *O cives, cives, quærenda Pecunia primò est,*
" *Virtus post Nummos*——

Nonne *Insanus* aliquis existimandus esset, si forsan audacter prædicaret, Volens nimirùm Animi sui Bona aliis communicare, se adeo Solis, Lunæ, & Stellarum, Terræ Universæ, & Maris firmâ & integrâ Possessione gaudere, ut sibi quidem Isti videantur *Insaniam* Pessimam Insanire, qui Honores, & Opes, ob aliam rationem amplectuntur, quàm ut *Utantur* iis in Virtute exercendâ ad DEI Gloriam, & Hominum Solatium? Nonne etiam *Insaniæ* stigmate, Populo Judice, notandus esset, qui palam ostenderet se (cæteris paribus) *Pauperes* potiùs quàm *Divites* (hos scilicet, qui sensu Vulgari tales appellantur) Cultu & Veneratione (quoad

Actum

Actum Internum) prosequi? Verum erga *Pauperes* Amorem præcipuam esse *Charitatis*, seu *Virtutis Christianæ* Partem asseruit præstantissimus Theologus Sanctus *Gr. Nazianzenus.* "*Hujus*, inquit de *Charitate* loquens, *Præcipuam partem in eo sitam esse comperio, ut Pauperes Amore, & Benevolentia complectamur* (ταύτης κράτιστον εὑρίσκω φιλοπτωχίαν) Heu Pietas! heu prisca Fides! Turpissimo obsequio nunc Mundo adblandiuntur quàm plurimi eorum, qui *verè Christianos* se esse autumant. *Primitivam* Pietatem quasi *Obsoletam* Laudant, & Negligunt, nempe quasi Tempore suo Bonam, & Amabilem, quam verò jam Cedere oporteat prudentioribus consiliis: Jam nobis *Quærenda Pecunia* est, Honores ambiendi, Voluptates appetendæ. At, at! Veniet profectò cito pede, imò jam tantùm non instat Tempus, quod palam ostendet non esse aliud Prudens Consilium, nisi illud ab ore *Martyris* ROMANI prolatum, quod his Versibus refert *Prudentius*:

"*Contemne præsens Utile, ô Prudens Homo,*
"*Quod terminandum, quod relinquendum est tibi.*
"*Omitte corpus rem sepulchri, & funeris,*

"*Tende ad futuram Gloriam, perge ad Deum:*
"*Agnosce qui sis, Vince Mundum, & Saeculum.*

"Hæc autem est Victoria (ut testatur A-"postolus): *quæ vicit Mundum*, nempe "FIDES *Nostra*, 1 Johann. 5. 4. Quis inquam *Appetitu Intellectivo Sensibilia* appeteret? quis unquam *Divinæ Particulam Auræ* Animum Immortalem rebus Caducis, & Perituris explere tentaret, qui CREDIT, hoc est, qui summâ animi Firmitudine, ac Constantiâ apprehendit hoc Verum esse, eò quòd DEUS dixit, "Vitam No-"stram vaporem esse ad exiguum tempus "apparentem, & deinde disparentem, Jacob. 4. 14. Quis unquam Fastuosam Mundi Gloriolam non sperneret Animitus, & Despicatui haberet, qui CREDIT hoc Dogma Apostolicum, 1 Pet. 1. 24. "Om-"nis caro est ut Gramen, & omnis Gloria "Hominis, ut Flos Graminis. Nec quisquam turpissimo Animi Morbo, Avaritiâ, seu Anxiâ, & Morosâ habendi Cupidine laborabit, qui CREDIT Beatos esse *Mites, quoniam ipsi Possidebunt Terram.* Ergo age, ô prudens Homo, erige Mentem, & CRE-

DE

DE Omnia, quæ Dixit DEUS per *Jesum Christum*, & *Apostolos* ejus. Hæreant tibi in imis medullis infixa *Solomonis* verba, Prov. 16. 16. "Comparare Sapientiam ô "quàm melius est Auro effosso, & compa- "rare Prudentiam optatius Argento! Qualis sit illa Sapientia Sanctus *Jacobus* ostendit, C. 3. v. 17. "Sapientia, inquit, quæ è su- "pernis est, Pura est, & plena Pacis, & Man- "sueta, & Obtemperans, & plena Miseri- "cordiæ, & Fructuum Bonorum, & sine "Dissidio est, & minimè simulata.

——"*Ingenuas didicisse fideliter Artes*
"*Emollit Mores, nec sinit esse Feros.*

ut Iste cecinit. Placidos, Benignos reddit hominum Mores Sapientia, quæ à supernis est. *Mites* audiunt *Sapientiæ Filii*, eò quòd Nemini invident, Bonos diligunt, Malis miserescunt, ut *Spiritu Divino* adductus monuit *Boetius*, *Consol. Phil.* L. 4.

"*Vis aptam meritis vicem referre,*
"*Dilige jure Bonos, & miseresce Malis.*

Illi nimirum in summo dignitatis Fastigio collocati, nempe " Sublimi, & Elato, cujus " Nomen est Inhabitans Æternitatem, Isa. " 17. 19. Per Christum Uniti *Infra se Vi-* " *dent Omnia.* Conculcant istiusmodi omnia quæ Invidiæ, Odii, Discordiæ Fomitem ministrant; quæ si Adsint, Tumidos reddunt *Multorum* Animos; si Abeant, deprimunt eos Curarum pondere; sin Absint, Cupidine ardenti excruciant: Τοῦτο Ὕψος Ἀνθρώπου· τοῦτο Δόξα, καὶ Μεγαλειότης, ut loquitur Sanctus *Basilius* Hom. de *Humilitate*, Ἀληθῶς γνῶναι τὸ Μέγα, καὶ τούτω προσφύεσθαι, καὶ Δόξαν παρὰ τοῦ κυρίου τῆς Δόξης ἐπιζητεῖν. " Hæc " est Hominis Sublimitas, hæc Gloria, & " Magnificentia, verè Cognoscere Hoc, " quod Magnum est, & Illi conglutinari, & " Gloriam à Domino Gloriæ quærere. Scilicet Excelsos Animos, & Magnos gerunt, qui DEO Inhærent OPTIMO MAXIMO. *Nec quicquam Magnum est*, ut Rectè quidem præclarus ille *Seneca, nisi quod simul & Placidum*, de Irâ L. 1. Spernamus itaque Res omnes caducas, & futiles, seu potiùs *Umbras*, & *Simulachra* Rerum pro quibus litigant Mortales, certant, pugnant, Igni, Ferroque sibi invicem minitantur. Sic *Mites* erimus & DEO similes, qui

qui *Charitas* est, & Auctor PACIS. *Legem Divinam*, cujus Completio est *Charitas*, multo magis in deliciis habeamus, quàm Opum, Avari, aut Ambitiosi Honorum Cumulos, Cantantes jugiter cum *Psalmistâ*, *Seraphico* Ardore Incensa Pectora pro *Holocausto* Numini offerentes, Ps. 19. 7, 8, 9, 10. "Doctrina Jehovæ integra est, restituens Animam: Testimonium Jehovæ "verax, sapientiam afferens Imperito. "Mandata Jehovæ sunt recta, lætificantia "Animum: Præceptum Jehovæ purum, "Illuminans Oculos. Reverentia Jehovæ "Munda, consistens in sempiternum: Judicia Jehovæ sunt ipsa Veritas, Justa sunt "pariter: Desideratissima, desiderabiliora "Auro, & quidem Auro Purgatissimo quamplurimo, ac Dulciora Melle, & quidem "acœto melle. Tum Servum tuum commonefactum istis in horum Observatione "esse Emolumentum Magnum. *In horum Observatione Emolumentum Magnum*: nempe Qui Mundum spernunt, Æternitatem cogitant, DEUM amant, & *Proximum* per *Jesum Christum Dominum Nostrum*, Fœlices Illi vel in hâc Vitâ, licet (quoad Externam Hominis Conditionem) Turbidâ sanè, ac Molestâ, magis magisque indies

Gaude-

Gaudebunt. Et tandem Corporibus istis Animos ad summam DEI OPT. MAX. Fruitionem aspirantes Deprimentibus Soluti, & Liberi (ut *Prudentii* verbis utar)

" *Pulcherrimo Vitæ Statu*
" *In Arce lucebunt Patris.*

Disser-

Dissertatio Sexta.

Matth. 5. 8.

Beati Mundi Corde, quoniam ipsi D E-U M Videbunt.

DE *Christianorum* in Terris vivendi ratione hactenus: restat ut de Vitâ eorum Futurâ pauca proferamus. Per hæc verba DEUM Videbunt, Præcipuè intelligenda est illa DEI Notitia, non nisi in Cœlis habenda, quam *Visionem Beatificam* vocamus. Faxit DEUS, ut quicquid Ego de Sublimi hoc *Themate* dicturus sum, ejusmodi sit, atq; ut talis sit etiam Meus, Vestrique, Lectores, Animi, ut Scripta Mea Me pariter, ac Vos omnes ad Summam SUMMI BONI Fruitionem consequendam

quendam Cessantes excitet, Tardos impellat.

Per hanc DEI *Visionem* non tantùm Intellectio seu *Animi Visio* intelligenda est, sed & ipsa *Visio Corporea*: nam post *Resurrectionem*, & hisce Oculis *Videbimus* DEUM, nempe INCARNATUM.

INFINITAM Potentiam, Sapientiam, Charitatem, Misericordiam, Justitiam, ENS SIMPLICITER INFINITUM Animo Videbimus Amantissimo ab ipso *Pulchro Infinito* Amati in Æternum. *Patre*, *Filio*, *Spiritu Sancto*, *Incomprehensibili* TRI-UNO Numine *Mysterii* Avidus Replebitur *Intellectus*; Qui sanè Totâ suâ Capacitate Repletâ, *Patri Luminum* Simillimus, quodammodo *Actus Purus* evadet: nec ampliùs Ducet Voluntatem, sed ipsam *Simplicitatis* Divinæ Ἐνέργεια in se Recipiet, ut Idem futurum sit, VIDERE, ac AMARE, *Intelligere* ac *Frui*.

Sed

Sed reprimam me: Viâ magis tritâ progredietur Oratio. Liquidò constat VISIONIS BEATIFICÆ *Objecta* esse ea omnia, quæ Fecit DEUS, Facit, Facturus est, Tot, tantasque Creaturas è Nihilo *Producendo*; *Redimendo, Sanctificando, Glorificando* HOMINES Credentes in *Jesum Christum Dominum Nostrum*: ANGELOS BONOS *Stabiliendo* in Gloriâ Æternâ, MALOS ANGELOS, atque *Homines* REDEMPTOREM Suum spernentes Suppliciis DEO *Irato* Dignis Puniendo: Hæc sanè, atque alia hujusmodi Omnia clarè adeo cognoscit, qui *Videt* DEUM, ut nequeat *Intellectus* ejus aliquam clariùs eadem Cognoscendi *Appetitionem* excitare: Et per ipsam in CHRISTO cum DEO *Unitionem* SUA esse *Sentit* UNIVERSA.

O præclarum Diem, cum nos omnes (qui summo scientiæ desiderio flagrantes, post tot labores nocte, dieque

Chartis

Chartis Impallescendo exantlatos tenuem solummodo, & exilem, & tantùm non nullam *Rerum Naturalium* cognitionem assequimur) Totam NATURÆ Fabricam penitus Inspiciemus, Gloriosissimâ CONDITORIS Sapientiâ ab Inspectis *Rebus*, ac *Eventis* omnibus in Nos Reflexâ in Æternum Splendentes! Cogitantes ista, Eruditi Lectores, dum Philosophorum *Ethnicorum*, aut *Christianorum* Scripta revolvimus, Caveamus usque, nè *Verisimilitudini*, seu potiùs *Veritatis Umbræ* Inhiantes *Substantiam ipsam Veritatis*, DEUM amittamus: scilicet eò usque tantùm *Verum* Quærendum est, quo nobis Auxilii quicquam exhibeat in *Summum Bonum* consequendum. Quicqüid id est, quod *Mali* Homines acquisitam sibi *Veritatem* esse autumant, minimè profectò meretur illud *Veritatis* Nomen: nam *Lux* sanè est omnis *Veritas*, quæ *Opera Tenebrarum* minimè comitatur.

Itaque,

Itaque, *Scholastici*, Stolidos, & Ineptissimos esse existimemus Eos, qui *Philosophiam*, seu *scientiæ studium* præferunt, sed tamen *Nituntur* (ut *Lucretii* verbis utar)

——Constante labore
Ad summas emergere Opes, rerumque potiri;

Atque interim Cœlestia, Æterna Negligunt. Rixas iniquissimas ab omni *Charitate* alienas istiusmodi viros in se invicem excitare, qui *Veritatis* Caussam Defendendam in se recipere profitentur, Extremæ esse Dementiæ quis unquam sanus negaverit? Qui Corda sua *Charitate* replendo *Mundare* nituntur, ut: DEUM tandem *Videre* poterint, his solis Placet VERITAS; aliis *Scientiæ studium* præferentibus *Opinio* tantùm, & *Os Populi*. Rerum Naturalium Essentias Ritè Inspicere est Amare DEUM,

 Essenti-

Essentiarum Omnium Fontem, & Originem, Quem *Amat nemo*, nisi per *Fidem* Redemptoris *Evangelio* adhibitam: quæ *Fides* DEUM Nos in ipso Redemptore *Jesu Christo* Amantem in hâc vitâ Δι' Ἐσόπτρυ ἐν Αἰνίγματι (ut loquitur *Apostolus*) Cernendum exhibet, ut magis, magisque indies Diligamus Eum, quò tandem in Cœlum emigrantes, ipsum *Patrem Omnipotentem Cœli ac Terræ Creatorem Facie ad Faciem* in Æternum *Videamus*, In Eo Profunda omnia *Incarnati* DEI omnes Peccatores, Turpissima Animalcula, *Diaboli* Servulos per summum Amorem suo sanguine Redimentis, Mysteria clarissimè cernentes. O præclarum Diem, cùm Decreta DEI de *Electione*, ac *Reprobatione*, de quibus dum rigidis, & acerbis Animis *Litigant* potiùs, quàm *Disputant* Mortales, Certò, ac Indubiè se reddunt *Iræ Divinæ* obnoxios, Sententias Dubias, aut Fal-

sas

ſas Invidè, & Arroganter pro Certis jactantes, cum, inquam, Decreta illa nobis Innoteſcent ſub Univerſis Rationibus quibus jam Conſtat Beatis Cœlorum Incolis eſſe Illa *Infinito Amatore* Digna.

Huc uſque progredienti mihi Animus profundâ Admiratione Abſorptus Calamum excuſſit. Apage Sermonem omnem de Re non Enarrabili! Faxit DEUS ut Vita Mea Me Oſtendat ſummâ Cupiditate ardentem VISIONIS BEATIFICÆ conſequendæ, quam minimè poſſim Verbis Oſtendere. Vale Lector, & Mecum ſemper Æternitatem Cogita: DEUM Spira.



PSALMUS 19.

1 ENarrant COELI Cœlestis Nomina Regis
Splendida: & Astriferos excurrit Clara per Orbes
Fama CREATORIS. 2 Lux Luci magna revelat
Arcana, & Nocti reboans Nox prædicat ipsa
Prudens Consilium. 3 Non est Gens ulla, nec usquam
Lingua, ubi Vox horum populi non perculit aures.
4 Terræ Circuitum totum complectitur horum
Linea: & extremum sonuerunt verba per Orbem:
Immensum Solis spatium currentis in illis
Constituit. 5 Sponso, Thalamum cum mane relinquit,
Hic Similis prodit: Gaudet quasi fortis aperto

Vir Campo properans, dum captat præmia Cursu.
6 *Cœlorum Fines linquit, properatque relictos*
Visere, Ubique suum spargens Hæc Flamma calorem.
7 *Perfectæ* DOMINI *Leges, & pectora vertunt*
Obliqua: imo Animos DOMINI *Mandata Sagaci*
Simplicitate beant. 8 DOMINI *Præcepta tenore*
Recto Corda fovent: DOMINI *Purissima Scita*
Dant oculis Lumen. 9 DOMINI *Reverentia munda est,*
Æternúmque manet: DOMINI *Decreta cohærent*
Summæ Justitiæ. 10 *Multo cupienda magis quàm*
Aurum, quàm clarum, quod fulsit in Ignibus, Aurum:
Et superant dulci dulcissima mella Sapore:

11 *Illa*

11 *Illa tuum, ut rectè faciat, monuere Ministrum :*
Illa etiam rectè facienti præmia reddunt.
12 *Heu, totam scelerum illuviem quis cernere possit*
Qua mens spurcata est ! maculas absterge refusas
Intus, & occultas. 13 *Nè totis viribus ipse*
Peccatis inhiet, Servum cohibeto : Libido
Nè premat imperio miserum : Tunc purus, & insons
Effugiam penitus sceleris consortia Magni.
14 *Oris Verba mei, Cordis Meditatio tota*
Candorem superent Vero Candore Nivalem,
Te Spectante, DEUS, Mea Rupes, Vita, Redemptor.

ΔΟΞΑ ἐν ὑψίςοις Θεῷ, ἐπὶ Γῆς Εἰρήνη, ἐν Ἀνθρώποις Εὐδοκία.

PSALMUS 23.

1 EST DOMINUS Mihi Pastor:
Opis nihil ipse requiro.
2 Quo Custode sitim dulci restinguere rivo
Me Juvat, & viridi fessum requiescere in Herbâ.
3 Ille Animam mœstam refovens mihi Tramite Recto
Dirigit Æterni summa ad Fastigia Cœli:
Hoc facit ipse Sui Causâ. 4 Si Mortis Imago
Obversata oculis horrendam projicit Umbram
Ante pedes, gradiar fortis, vacuusque Timoris.
Virga Tua, & Baculus mihi sunt Solatia Tecum
Degenti. 5 Immensis Dapibus, Spectante Inimico,

Me

Me reficis : tingens Oleo Caput, am-
pla ministras
Pocula. 6 *Sic Tua Me Clementia*
summa sequetur.
Semper : & usque Tui complectar
limina Templi.

HALLELUIA.

FINIS.
